



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Regvla Morvm Sive Tractatvs Bipartitvs De Sufficienti Ad
Conscientiam Rite Formandam Regvla In Quo Usus
Cujusvis Opinionis Practice Probabilis Convincitur Esse
Licitus**

Terillus, Antonius

Leodii, 1678

Quæst. III. Vtrùm voluntas, concordans rationi, seu conscientiaë
invincibiliter erranti, sit bona?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77827](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77827)

QUAESTIO TERTIA.

Virum voluntas, concordans rationi seu conscientia invincibiliter erranti, sit bona?

HÆC, ut *quæst.* 1. præfatum est, est secunda quæstio principalis hujus controversiæ, quæ idcirco diligenter tractanda est, ne de veritate illius ullum superfit dubium. Inprimis ergo certum est, voluntatem concordantem rationi seu conscientia invincibiliter erranti non esse bonam, sed malam, ut Theologi unanimiter docent cum S. Thomâ 1. 2. *quæst.* 19. *art.* 6. Similiter communis omnium persuasio est, & fuit; voluntatem concordantem rationi seu conscientia invincibiliter erranti esse bonam, in quo haud dubiè sequuntur opinionem S. Thomæ in eodem articulo, qui de hoc mentem suam ibi tam clarè explicat, ut mirum sit, oppositum ulli in mentem venire potuisse. Celladeo tamen aliter visum est, qui in hoc sicut in multis aliis singularem opinionem sectari voluit; cum enim videret ex sua sententiâ nec essariò sequi, quòd volitio errori invincibili conformis non sit bona & honesta, haud territus est, ut oportebat, absurditate sequelæ, sed è contrario fixus in priori persuasione tanquam verâ, audacter se extendit ad veritatem consequentis admittendam; nec solum passus est, sequelam esse veram, sed omni nisu conatur probare, quòd ipse solus in hæc parte reliquis omnibus oculatior fuerit, tam in intelligendâ S. Thomæ mente, quàm in veritate ipsâ percipiendâ. Itaque *lib.* 3. *quæst.* 4. duo prosequitur; primum est, S. Thomam docere, voluntatem concordantem rationi invincibiliter erranti non esse bonam. Secundum, id ipsum rationibus efficacissimis convinci esse verissimum. Ego è contrario, communem omnium Theologorum sententiam secutus, duo statuatim profero contraria, scilicet & S. Thomam oppositum tenere; & rationes ac auctoritates irrefragabiles communem Theologorum opinionem confirmare. Sit ergo.

ASSERTIO PRIMA.

S. Thomas tenet, voluntatem rationi seu conscientia invincibiliter erranti concordantem esse bonam.

DEMONSTRATUR primò ex 1. 2. *quæst.* 19. *art.* 5. & 6. In *art.* 5. S. Thomas quærit, utrum conscientia discordans à ratione errante sit mala? Huic quæsitio sic respondet. Idem est quærit, utrum voluntas discordans à ratione seu conscientia errante sit mala, quam quærit, utrum conscientia errans obliget. Hoc supposito, ostendit, conscientiam errantem semper ligare, asserens eos, qui contrarium arbitrati sunt, irrationabiliter locutos fuisse. Unde concludit, quòd simpliciter omnis voluntas discordans à ratione, sive rectè sive erroneâ, semper sit mala. Deinde in *art.* 6. quærit, utrum voluntas, concordans rationi erranti, sit bona? Mox in corpore respondet hoc modo. Dicendum, quòd sicut præmissa quæstio eadem est

cum quæstione, quâ quæritur, utrum conscientia erronea liget; ita ista quæstio eadem est cum illâ, quâ quæritur, utrum conscientia erronea excuset. Ecce ex mente S. Thomæ idem est quærit, utrum voluntas concordans conscientia erranti sit bona, ac quærit, utrum conscientia erronea excuset. Ergo si ex mente S. Thomæ conscientia erronea excuset, voluntas illi conformis erit bona, quia ex mente ipsius hæc duo sunt unum & idem. At S. Thomas immediatè post verba proximè citata subjungit, conscientiam dupliciter errare posse, primò involuntariè ac invincibiliter, secundò vincibiliter, ac voluntariè. Atque demum expressis verbis concludit, conscientiam vincibiliter errantem non excusare; sed excusare, si invincibiliter erret. Atque hæc tenet expressis S. Thomæ terminis usus sum, qui in formam syllogisticam complicati, dant istas præmissas. Idem est, voluntatem conscientia erranti concordantem esse bonam, ac errorem, cui concordat, excusare, sicut idem est, voluntatem conscientia erranti discordantem, esse malam; ac errorem, à quo discordat, ligare. Sed voluntas concordans conscientia invincibiliter erranti est conformis conscientia excusanti, sicut voluntas discordans à conscientia errante est discordans à conscientia ligante. Ex quibus præmissis inevitabiliter ac legitime deducitur hæc consequentia. Ergo voluntas concordans conscientia invincibiliter erranti est bona, sicut voluntas discordans à conscientia errante est mala. Et hæc absque dubio est expressa sententia S. Thomæ, de quâ nemo ambigere potest, qui dictos articulos absque indebitâ animi propensione legit & considerat.

3. Demonstratur secundò. S. Thomas 1. 2. *quæst.* 18. *art.* 8. probat, actus aliquos esse indifferentes secundum speciem; sed, hoc non obstante, *art.* 9. expressè tradit, nullum dari posse actum humanum, à ratione deliberativâ procedentem, qui in individuo, seu individualiter sumptus, sit indifferens. Sic autem discurre. Actus à ratione deliberativâ procedens, si non sit ad debitum finem ordinatus, ex hoc ipso repugnat rationi, & habet rationem mali. Si verò ordinetur ad debitum finem, convenit cum ordine rationis, unde habet rationem boni. Necessè est autem, quòd vel ordinetur, vel non ordinetur ad debitum finem. Unde necessè est, omnem actum hominis, à deliberativâ ratione procedentem, in individuo consideratum, bonum esse, vel malum. Ita S. Thomas. Ex hæc autem doctrinâ sic arguo: Actus ab errore invincibili procedens est actus humanus, qui procedit à ratione deliberativâ. Ergo talis actus, sumptus in individuo, vel malus est, vel bonus. Atqui talis actus non est malus, ut omnes rectè tenentes fatentur, & S. Thomas expressè tradit 1. 2. *quæst.* 6. *art.* 8. quia invincibilis ignorantia à toto excusat. Ergo talis actus, in individuo sumptus, est bonus. Hæc ergo est certissima sententia S. Thomæ, cum evidentissimè & immediatè ex ejus doctrinâ sequatur. Cæterum certum est, S. Thomam hic agere de bonitate & malitiâ formali, & expressè negare, ullum

Non datur actus indifferens in individuo.

illum actum deliberatum dari posse, qui, in individuo sumptus, careat bonitate, vel malitiâ formali; quia & ratio S. Thomæ id ipsum probat, & totum intentum articuli, ac quæstionis propoſitæ ad aliud non collimat, ut mirum sit, Celladeum §. 5. ausum fuisse hoc argumentum eludere, dicendo, S. Thomam loqui de bono & malo materialiter sumpto. Sed quid volumus? Ita dicere debuit ad tuendum positum, & ideo ita dixit, etsi sine ullo fundamento contra veritatem & communem omnium sensum id ipsum dixerit.

Opus errori
invincibili
cõforme est
moraliter
bonum.

4. Et sanè, cum in prioribus locis S. Doctor expressè & ex æquo comparationem instituat, inter bonum operis concordans cum ratione invincibiliter errante, & malum operis discordans à ratione errante, perspicuum est, quòd proportionalia tradat de bono primi, & de malo secundi. At certum est, quòd sentiat malum actûs secundi esse formale; quia opus ipsum, seu objectum actûs, est materialiter bonum; actus verò est formaliter ac moraliter malus. Ergo certum pariter est, quòd sentiat, bonum actûs primi esse formaliter & moraliter tale, quia objectum talis actûs secundum se, seu materialiter sumptum, est malum. Similiter, cum in secundo loco loquatur universaliter de omni opere individuali, utique assertio ipsius complectitur etiam operationem concordantem cum ratione invincibiliter erroneâ, quæ dicit malum esse bonum. Ergo sentit, actum ejusmodi non esse malum, sed bonum in individuo. Atqui certum est, quòd non sit materialiter bonus, cum objectum, quod ponit, supponatur esse malum. Ergo aliam bonitatem non habet quàm moralem. Ergo tantum abest, ut replica Celladei enervet argumentum, ut è contrario apertè convineat, S. Thomam loqui de bonitate formali ac morali, quia bonitas objectiva non datur, & omnis alia bonitas est impertinens ad quæstionem à S. Doctore eo loco institutam; quia illa quæstio expressè instituitur de bonitate morali, ut patet. Præterea bonitas transcendentalis non est ad rem, quia ex æquo invenitur in actu discordante, ac in concordante cum ratione erroneâ. Ergo non est illa bonitas, de quâ S. Thomas loquitur, quia illa bonitas non est communis utrique actûi, sed tribuitur uni, & negatur alteri. Patet ergo, quòd loquatur de bonitate morali. Ergo voluntas, conformis rationi invincibiliter erranti, est moraliter bona juxta mentem S. Thomæ.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

5. **O**BJICIT primò. S. Thomas 1. 2. quæst. 19. art. 5. quærit, an voluntas discordans à ratione errante sit mala, & affirmat. Mox. art. 6. quærit, an voluntas concordans rationi erranti sit bona, & negat. Ita Celladeus lib. 3. quæst. 4. in initio.

Celladei error
in intel-
ligendo S.
Thomæ.

6. Respondeo, Celladeum hæc in re certissimè falli, palpabilemque errorem Lectori imponere. Nullibi enim S. Thomas aut dicit aut insinuat, nullam voluntatem rationi erranti conformem esse bonam, sed in toto articulo eò collimat, ut ostendat, aliquas ejusmodi voluntates esse malas, alias bonas. In argumento, *sed contra*, affert exemplum voluntatis conformis rationi vincibiliter erroneæ in iis, qui Apostolos occiderunt, arbitrantes se obsequium Deo præstare, eamque voluntatem asserit fuisse malam. Ex quo infert, Ergo voluntas concordans rationi erranti po-

test esse mala, quod ab omnibus admittitur. Verum ubi infert S. Thomas, quòd omnis voluntas conformis rationi erranti sit mala? aut quòd nulla talis voluntas sit bona? Hoc ostendere debuisset Celladeus, ne Lectori imponeret. At S. Doctor non hoc, sed oppositum tradit; nam in corpore articuli distinguit rationem errantem, in vincibiliter, & in invincibiliter erroneam: tum probat, priorem non excusare, quin voluntas illi conformis sit mala; secundam verò excusare, & consequenter efficere, ut voluntas illi conformis sit bona; quia idem est, voluntatem esse bonam, & eam esse ab omni malo excusabilem. Hinc evidens est disparitas inter modum arguendi in 5. & modum arguendi in 6. art. In 5. resolutio quæstionis est universalis, scilicet, quod omnis voluntas, discordans à ratione sive rectâ sive errante, semper sit mala. At in 6. art. non infertur universaliter, quòd nulla voluntas rationi erranti conformis sit bona, aut quòd omnis ejusmodi voluntas sit mala; sed S. Doctor totam rem universaliter propositam distinguit, & juxta distinctionem resolvit quæstionem, dicendo, voluntatem conformem rationi erranti non semper, sed aliquando esse bonam. Errat ergo Celladeus, parificando doctrinam utriusque articuli, & contendendo S. Thomam universaliter negare, voluntatem rationi erranti conformem esse bonam, sicut universaliter asserit, omnem voluntatem à ratione discordantem esse malam.

7. Objicit secundò, Potissima, & ferè unica ratio dicentium, voluntatem rationi erranti concordantem esse bonam, est, quod sicut voluntas discordans à ratione tendit in id, quod ratio judicat malum; ita voluntas concordans rationi tendit in id, quod ratio judicat bonum. Sed voluntas discordans à ratione, etiam errante, est mala. Ergo voluntas concordans rationi, etiam erranti, est bona. At hæc ratio est argumentum de verbo ad verbum, quod S. Thomas primo loco sibi objicit ad probandum, quòd voluntas conformis rationi erranti sit bona. Verùm in responsione illam rejicit ut futilem, eamque solvit. Ergo S. Thomas censet, voluntatem rationi erranti conformem non esse bonam, dum potissimum illorum argumentum repellit ut inane. Ita Celladeus hic §. 1.

8. Respondeo, mirandum esse, res tam evidenter falsas è calamo Theologi elabi potuisse. Cedo, Celladee, quis Theologorum unquam usus est hoc argumento, ut jacet, ad probandum quòd voluntas rationi invincibiliter erranti conformis sit bona? Unam ullius notæ affer, & ultrò fatebor, me tibi calumniam inferre. Si neminem ita differentem inveneris (neminem autem invenies) fatère te inaccuratè loqui, atque hoc loco contra competentem veritatem ignoranti Lectori falsa pro veris obtrudere. Ego enim & assero, & scio, Auctores ad hoc probandum non uti hoc argumento, cum omnes illud solvant, ut ostendant, quod omnes unanimiter tenent, voluntatem, rationi vincibiliter erranti conformem, non esse bonam, sed malam. Nemo ergo utitur hoc argumento sub illis terminis universalibus, sed ulterius requirunt, ut error sit invincibilis, & tunc cum S. Thomâ asserunt, voluntatem illi conformem esse bonam, quia sicut invincibilitas excusat à malo, ita infert bonum.

9. Cæterum, ideo S. Thomas hoc argumentum sibi objicit, quia necessario solvendum erat, ut veritatem suæ sententiæ stabiliret; argumentum enim probat, omnem voluntatem rationi erranti

Celladeus
affigit S.
Thomæ
oppositum
ejus, quod
tenet.

erranti conformem esse bonam, cum ipse teneat, non omnem sed aliquam tantum ejusmodi voluntatem esse honestam. Itaque respondet, argumentum non concludere, quia bonum, ut dicit S. Dionysius. lib. 4. de divin. Nom. causatur ex integrâ causâ, malum autem ex singularibus defectibus. Ideo ut objectum voluntatis dicatur malum, sufficit si verè sit, aut si apprehendatur tale. At ut sit bonum, non sufficit ut sit, aut ut credatur bonum, sed debet esse bonum utroque modo.

Ratio, cur voluntas errori conformis sit bona, vel mala?

Huic solutioni insistendo, dico, voluntatem conformem rationi vincibiliter erranti non esse bonam, sed malam; quia oritur ab errore vincibili, & consequenter à peccato, per quod ille error inductus est. Quidquid enim à quolibet voluntatis defectu, seu à quovis peccato ortum sumit, & ab eo quodammodo informatur, haud dubiè malum est; quia malum ex quolibet defectu. Econtrâ, voluntas rationi invincibiliter erranti conformis bona est, quia non procedit ab illo peccato, aut malitiâ hominis, qui errat; sed ex opposito derivatur à voluntate bonâ, seu à recto appetitu suis, ut ostendi quæst. 12. de consecr. prob. à num. 14. Unde sequitur, nullum in tali homine dari defectum, à quo voluntas tali rationi conformis aut privetur bono, aut malum contrahat.

10. Dices primò. Talis voluntas dirigitur ab errore intellectus. At omnis error est defectus, & malum. Ergo voluntas illa dirigitur à defectu, & à malo. Ergo non est bona, sed mala, quia bonum ex integrâ causâ, malum ex quolibet defectu.

Solus defectus voluntatis refundit malum morale in actum.

Respondeo, axioma illud S. Dionysii, si ad bonum & malum morale restringatur, ut sit in præfenti, non posse intelligi, nisi de defectu ipsius voluntatis, quia certum est, voluntatem conformem rationi invincibiliter erranti non esse malam. Ratio ergo est, quia operatio non procedit ab illo defectu voluntatis, licet error intellectus illam dirigat. Itaque sicut error ille intellectus non refundit malum in volitionem, quam dirigit, cum non sit defectus ex quo malum ejusmodi refundi possit; ita non est defectus tollens bonum ab illâ volitione, quam dirigit, cum nullum defectum præsupponat in voluntate, nec ullam connexionem habeat cum malo morali, cui soli bonum morale privativè opponitur. Et quidem hoc modo respondeo, loquendo solum de actibus directis intellectus, quia illi soli sunt erronei; nam iudicium ultimum, quo voluntas dirigitur in hoc casu, non est erroneum; ut sæpe dicendum erit, & mox ostendetur uberius. Cæterum loquimur jam, ac si volitio illa non nisi ab errore dirigeretur, alioquin quaestio procederet de subiecto non supponente. Præterea hinc investigamus mentem S. Thomæ, qui non agit nisi de actibus directis, & supponit iudicium, à quo voluntas dirigitur, esse erroneum. Ergo juxta hanc suppositionem respondendum erat.

11. Dices secundò. S. Thomas in responsione ad 1. argumentum supra à nobis ex ipso propositum, hæc habet. *Ut dicatur malum id, in quod fertur voluntas, sufficit, sive quod secundum suam naturam sit malum, sive quod apprehendatur ut malum. Sed ad hoc quod sit bonum, requiritur quod utroque modo sit bonum.* Ergo hæc est mens S. Thomæ. At voluntas concordans rationi, etiam invincibiliter erranti, fertur in illud, quod naturâ suâ est malum. Ergo talis voluntas ex mente S. Thomæ non est bona.

Respondeo, S. Thomam aliam doctrinam

non asserere in responsione, quam quæ sufficit ad elidendum argumentum. Ad hoc autem sufficit, si voluntas concordans rationi vincibiliter erranti sit mala; eò quod vincibiliter fertur in rem naturâ suâ malam, & sic excusari non possit. Et sanè S. Thomas aliter intelligi non potest, nisi dicatur in responsione ad 1. contradicere dictis in corpore articuli, ubi ex professo probat, voluntatem rationi invincibiliter erranti conformem non esse malam. Illa tamen fertur in rem naturâ suâ malam. Ergò dum in Responsione dicit, sufficere ad malum, si res sit naturâ suâ mala, et si credatur bona, loquitur de malo vincibiliter credito bono, nec aliter intelligi potest. Ergo similiter, quando in eodem contextu dicit, *ut aliquid sit bonum, requiritur quod utroque modo sit bonum*, intelligendus est loqui cum eadem exceptione, ut scilicet utrumque requiratur, nisi contingat malum invincibiliter reputari bonum. Ratio est, quia loquens in uno eodemque contextu non censetur alterare sensum terminorum, nisi id expressè significet. At nil tale hoc loco significatur. Præterea ex corpore articuli constat; talem voluntatem esse bonam. Ergo nisi doctrina responsionis dictâ ratione limitetur, contradicit doctrinæ articuli. At quando doctrina articuli videtur repugnare cum doctrinâ responsionis, hæc per illam, non illa per hanc limitari ac explicari debet, quia doctrina articuli semper est, & debet esse exacta, cui omnia in responsione ad argumenta subserviunt. Econtrâ in responsionibus sufficit, si doctrinæ illarum eam veritatem habeant, quæ ad solutionem argumenti requiruntur, nec opus est, ut omnia in illis contenta ita ad litteram in omni universalitate vocum sint vera, ut nullam exceptionem aut limitationem patiantur, ut per se patet, & in Auctoribus etiam primariis videre est.

Mens S. Thomæ de bonitate morali actus explicatur.

12. Est & alia limitatio huic S. Thomæ dicto necessario adhibenda; illud enim, ut jacet, dicit, nil esse bonum, nisi quod ex naturâ suâ est tale, & insuper existimatur tale. At hoc falsum est, ut jacet, certissimæque S. Thomæ, aliorumque omnium doctrinæ contrariatur; constat enim opera, quoad speciem indifferentia, evadere bona, si ad bonum finem debite ordinentur. Ergo ad bonum non requiritur, quod sit tale utroque modo. Ergo hoc dictum S. Thomæ non unâ limitatione indiget. Porro secunda limitatio confirmat primam; sicut enim quod non est bonum naturâ suâ, evadit bonum, si ad debitum finem ordinetur, ita quod ex naturâ suâ malum est, evadit bonum, si ex unâ parte invincibiliter credatur bonum, & ex altera ad debitum finem ordinetur. Stantibus enim his duobus, bonitas talis volitionis est inimpedibilis. Quidquid enim reddere potest bonum, quod ex se est indifferens & tollere malum ab eo, quod naturâ suâ malum est, illud idem efficere potest, ut quod naturâ suâ malum est, hic & nunc per accidens terminet voluntatem bonam. Sed de hoc fufius in assertione sequenti.

Alia limitatio dicti S. Thomæ.

13. Objicit tertid. Non intelligit sensum quaestionis à S. Thomâ propositæ, qui aliud ex illo colligit, quam excusationem à peccato. Ergo non intelligit quaestionem illam, qui ex illâ infert, operationem conscientie erranti conformem esse bonam. Probat antecedens. S. Thomas in toto corpore articuli, aliud non agit, quam ostendere, voluntatem rationi invincibiliter erranti conformem non esse malam. Ergo, qui putat aliud ibi tradi, non intelligit quaestionem illam.

Præ-

Præterea S. Thomas *quæst. 17. de verit. art. 4. in corpore*, impugnat dicentes, conscientiam errantem in rebus per se malis non ligare, & hæc habet. *Qui hoc dicunt, non videntur intelligere, quid sit conscientiam ligare. Secundum hoc enim conscientia ligare dicitur, quod aliquis, nisi conscientiam impleat, peccatum incurreret, non autem hoc modo, quod aliquis implens recte faciat. Ergo ex veritate rei, & ex mente S. Thomæ non intelligit quæstionem hanc, qui putat voluntatem implentem dictamen conscientie errantis esse bonam. Ita Celladeus §. 2.*

Respondeo, & auctacter dico, eum non intelligere sensum quæstionis hujus, qui dicit, nil in ea tradi de bonitate actus rationi invincibiliter erranti conformis. Ratio est, quia S. Thomas in titulo articuli expressè quærit, an talis actus sit bonus. Deinde in corpore articuli respondet, hoc idem esse, ac querere, an talis error excuset. Demum hac protestatione præmissâ, ostendit, talem errorem excusare. Nec aliud expressè dicit, quia alio opus non erat; cum antea dixisset, idem esse, voluntatem rationi erranti conformem esse bonam, ac errorem, à quo dirigitur, esse invincibilem, & excusare. Estne hoc nil tradi in isto articulo de bonitate actus ab errore invincibili regulati? Sanè qui hoc dicit, quæstionem non intelligit. Itaque quamvis S. Doctor, post protestationem illam, totus sit in probando, quod error ille excuset, uno tamen eodemque opere probat utrumque, quia ex duobus indistinctis unum probari nequit, quin alterum simul realiter inferatur.

14. Quod assertur ex *quæst. 17. de verit.* non est ad rem, quia illi, quos S. Thomas ibi redarguit, non explicabant, ut debebant, conscientie ligamen per hoc, quod peccatum incurrat, si opus ponatur contra conscientiam; sed per hoc quod opus esset bonum, si fieret juxta conscientiam. At primum sufficit, ut conscientia liget, quæ proinde sæpe ligat, quando opus illi conforme non est bonum, scilicet quoties ratio vincibiliter errat. Hinc autem non sequitur, illum non intelligere mentem S. Thomæ, qui dicit voluntatem rationi invincibiliter erranti conformem esse bonam, quia nulla est connexio inter antecedens & consequens. Absurdum quidem esset universaliter dicere, omnem operantem juxta conscientiam bene agere, quia oppositum est certum, quando conscientia vincibiliter errat. At distinguere cum S. Thomâ rationem errantem in invincibilem, & vincibilem, & dicere, opus conforme errori vincibili esse malum, & opus conforme errori invincibili esse bonum, est loqui cum S. Thomâ, & intelligere quæstionem sicut ille intellexit. Certè si S. Doctor absolute intendisset probare, nullam volitionem rationi erranti conformem esse bonam, ut fingit Celladeus, frustra adhibuisset distinctionem rationis vincibiliter & invincibiliter errantis; talis enim distinctio impertinenter se habuisset ad intentum, quia quocumque modo se haberet ratio errans, voluntas illi conformis nunquam esset bona. At longè aliter discurrit S. Thomas, qui propriam quæstionem rectè intellexit, ideoque non otiosam, sed prorsus necessariam quæstioni dirimendæ distinctionem adhibuit; ac proinde haud dubiè censet, omnem voluntatem, rationi invincibiliter erranti conformem, esse bonam.

Alius Celladei error in intelligendo S. Thom.

Nullitas argumenti à Celladeo alati.

ASSERTIO II.

Voluntas conformis conscientie invincibiliter erroneæ est bona.

PRIMA PROBATIO EX Sacrà Scripturâ.

15. IN PRIMIS pondero illud *psalmi 118. Beati immaculati in viâ*, & sic arguo. Qui vitam hanc humanam absque peccato transigunt, vocantur beati. At qui sequuntur dictamen conscientie invincibiliter errantis, per hoc ipsum, si in aliis non peccent, constituuntur immaculati in viâ hujus vitæ. Immo quando conscientia invincibiliter dicitur, malum esse bonum præceptum, aut bonum esse malum vetitum, non aliter potest homo esse immaculatus in viâ, quam sectando conscientiam erroneam, cum errorem deponere non possit. Ergo per hoc ipsum, quod homo in viâ, id est in hac vitâ, modo humano operans, sequatur dictamen conscientie invincibiliter errantis, si in aliis non peccet, est & meriti dicitur beatus, quia *immaculatus est in viâ*. At nemo meriti prædicatur beatus propter operationem humanam, nisi illa sit bona. Ergo operatio, seu volitio, conformis conscientie invincibiliter erroneæ est bona, cum propter illam, & per illam, sicut homo est immaculatus, ita pariter est, & dicitur beatus.

Rursus Ecclesiastici 31. *vers. 8. & seq. hæc habentur. Beatus dives, qui invenit se sine macula, & qui post aurum non abiit, nec speravit in pecuniâ & thesauris. Quis est hic, & laudabimus eum? Fecit enim mirabilia in vitâ suâ. Qui probatus est in illo, & perfectus est, erit illi gloria aterna: qui potuit transgredi, & non est transgressus; facere mala, & non fecit; ideo stabilita sunt bona illius in Domino.* Ecce Ecclesiasticus non solum attribuit beatitudinem diviti, qui vitam sine peccato traducit, uti Psalmista proximè citatus fecit, sed insuper expressè addit, eum hoc nomine laudandum. Ac laus est proprius effectus solius virtutis; actioni enim non bonæ laus tribuenda non est. Ergo actiones humanæ, quibus homo ex electione liberâ peccatum vitat, non sunt indifferentes, quia merentur laudem. At tales sæpe sunt actiones ab errore invincibili regulatæ, quia sæpe peccatum, sine talibus actionibus vitari non potest. Ergo illæ actiones sunt bonæ.

16. Deinde sic arguo. Omnis actus, cui debetur præmium, est bonus. Sed actibus humanis, quibus peccata vitantur, præmium tribuitur, quia stabiliti in Deo magnum bonum est, quod liberæ peccati vitationi adscribitur, tanquam effectus illi debitus, & proportionatus. Ergo tales actus sunt boni. Major per se pater. Ad probationem minoris, considera illud: *Qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit, ideo stabilita sunt bona illius in Domino.* Et videbis dictum stabilitum liberæ peccatorum vitationi ascribi tamquam præmium, illi saltem de congruo conveniens. Hoc enim indicat causalis ideo, quæ refertur supra liberam peccatorum vitationem tanquam causam, cui stabilitum in Domino tanquam effectus correspondet. At opus, cui tale præmium correspondet, est bonum. Ergo libera peccati vitatio est opus bonum: sed voluntas conformis conscientie invincibiliter erranti est libera peccati vitatio, ut

Volitio eorum rationi invincibiliter erranti est bona.

Libere non peccare, est positive bonum & laudabile.

Libere vitationi peccati præmiū debetur.

ut per se patet, & Celladeus aperte fatetur. Ergo talis voluntas est bona.

Præterea sic arguo. Cuicumque tribui potest, quod allatus textus ponit pro antecedente, illi tribui potest consequens, quod idem textus ex illo antecedente deducit. Sed sectanti conscientiam invincibiliter errantem tribui potest antecedens hujus textus, de illo enim verissime dicitur, qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala & non fecit. Immo hoc antecedens tribui illi posset, quamvis supponeretur in omnibus omnino invincibiliter errare (quam suppositionem Celladeus facit lib. 3. quest. 3. ut ex illa probet opus ex errore regulatum non esse bonum) quia talis homo faceret, quod posset ad vitandum peccatum, & sic faciendo illud vitaret. Ergo tali homini tribui debet illud consequens: ideo stabilita sunt bona illius in Domino. Ergo talis homo hoc ipso bene & laudabiliter operatur, alioquin talis merces illi reddenda non esset.

Iidem ex S. Paulo colligitur.

17. Tertio S. Paulus 1. ad Corinth. 7. agens de virginibus & nuptis duo tradit. Primum versu. 28. ubi dicit, nubentes non peccare: Secundum versu. 38. ubi hæc habet. Qui matrimonio jungit virginem suam bene facit, & qui non jungit melius facit. Unde sic arguo. Qui matrimonio jungit virginem suam, eo quod sit superadulta, & satis videat, illam ad nuptias anhelare; facit omnia, quæ Apostolus requirit, modò omnem diligentiam adhibeat, ut viro digno, nulloque impedimento gravato eam loct. Ergo talis homo, ex mente Apostoli, non solum non peccat, sed bene facit. Homo tamen sic operans aliquando ex errore invincibili concurret ad conjunctionem, aut materialiter fornicariam, aut certè illicitam, eo quod addit impedimentum, vel prohibens, vel etiam, dirimens talem contractum. Ergo aliquando contingit operationem esse bonam, quæ versatur circa malum, quod invincibiliter creditur bonum.

Hominis hoc actus efficienti non est fortuitus bene vel male operari.

18. Et sanè, quis non videt, talem Patrem ab omnibus laudem mereri, quod dicta ratione filiam nuptui tradat. Porro dicere, quod bene operetur, si non erret, sed quod bene non operetur, quomodo documque erraverit, perinde est, ac si quis diceret, fortuitum esse, quod homo bene operetur, etsi omnem ad bene operandum conatum adhibeat, similesque prorsus eliciat actus intellectus ac voluntatis, sicut alius, qui bene operatur, quia fortuitum est, quod non erret, tametsi omnem diligentiam adhibeat. Immo aliquando contingit illum errare, quamvis similes prorsus actus habeat in intellectu ac in voluntate, sicut ille, qui non errat, & bene operatur. Ergo bona operatio esset fortuita conanti, & similia prorsus facienti, ac ille, qui bene operatur, quo nil à ratione magis alienum dici potest.

Bonitas moralis operationis liberæ non pendet ab aliena malitia.

19. Præterea non solum fortuitum esset, hominem, taliter conantem & operantem, bene operari, sed ab aliena malitia dependeret, quod bene, vel non bene operaretur. Si enim aliquis sua malitia apponat impedimentum dirimens, vel impediens illud matrimonium, tunc Pater ille non bene operaretur; bene autem operatus fuisset, si aliena malitia ejusmodi impedimentum non apposuisset. At absurdum est dicere, quod ab aliena malitia dependeat, hominem, hos numero actus intellectus & voluntatis elicientem, bene vel non bene operari, quia bonitas moralis actuum constitueretur per merè extrinsecum, & non ex propria operatione, libertate, ac modo

operandi, sed ab aliena libertate & malitia dependeret, adeo ut si ille non peccaret, aut ita operatus sit, tunc ego bene operor; sed si ille, me inscio, aliter operetur, tunc ego eodem prorsus modo agens, eisdemque actus eliciens, non bene operor. Quis tales illationes non exhorreat? Certum tamen est, illas ex singulari Celladei operatione legitime deduci. Rejicienda ergo est illius sententia, ex qua absurda tam patentia, naturali rationis lumini, communique omnium doctrinæ repugnantia, inevitabiliter deducuntur.

SECUNDA PROBATIO EX SS. Patribus.

20. AUGUSTINUS serm. 19. de verbis Apostoli. citatum Ecclesiastici locum explanat, sicut ego illum exposui. Sic loquitur initio cap. 6. Beatum scriptura dicit, qui post aurum non abiit, qui potuit transgredi, & non est transgressus, qui facere mala potuit, & non fecit. Hæc tenus August. Ergo beatum dicit Scriptura inter alios, qui sectatur conscientiam invincibiliter errantem; ille enim potuit transgredi, & non est transgressus. Pergit August. & loquens de eo, qui reddit accommodatum, quando ipse solus conscius est, rem sibi accommodatam fuisse, hæc habet. Si tunc reddidisti, si mortuo, qui commodavit, nescienti filio reddidisti: tunc te laudabo; quia, post aurum non isti; quia potuisti transgredi, & non es transgressus; quia potuisti mala facere, & non fecisti. Hæc etiam laus debetur illi, qui conscientiam invincibiliter errantem sectatur, quia casus indifferens est, ut statuatur per conscientiam veram, vel per conscientiam invincibiliter erroneam. Si enim commodatum non erat illius, qui commodavit, sed alterius, quem ille injustè re sua privavit, tunc restituens commodatum, habet conscientiam erroneam, quia putat rem illam ad jura commodantis pertinere. At hoc iudicium erroneum est, & voluntas illi conformis materialiter peccat, quia disponit de rebus alienis invito domino: tamen talis homo meretur laudem ex mente Augustini. Ergo bene operatur.

Liberè non peccare est laudabile.

Casus iste à fortiori eminet in restituente sacculum pecuniæ à se inventum, de quo agit Augustinus ibidem cap. 7. Supponit inventorem publicè pitacium proposuisse, quo declaravit, se sacculum pecuniæ invenisse, paratumque esse eum domino restituere. Accedit deinde homo, qui sacculum ad se pertinere ait, nec dicit tantum, sed tempus & locum perditionis memorat, materiam & magnitudinem sacculi, nummorum numerum & qualitatem aperit, ita ut nemo prudens suspicari possit, quin ille sit, qui sacculum perdidit. Fieri tamen potest, ut alius sacculum perdidit, hic autem omnium circumstantiarum conscius se præsentet, cum sciat verum Dominum peregrè profectum, & in itinere mortuum, vel quia implemet sacculum furatus erat, &c. Jara quæ ab omnibus, qui sermonem illum legerunt, an talis inventor, & re ipsa, & ex mente Augustini non sit laude dignus, si post omnem diligentiam adhibitam, & sufficientem temporis expectationem viro illi inventum restituat? Si neget, & ipsum lumen rationis, & totam Augustini discursum tibi contrarium senties; si concedas, habemus intentum, quia voluntas conscientie invincibiliter erranti conformis bona est, & laudabilis. Et sane nemo non videt talem resti-

S. August. nus contrariatur Celso.

restitutionem esse bonam, cum perspicuum sit, inventorem parem laudem mereri, sive vero domino, sive falso domino, sed invincibiliter credito vero, inventum restituit.

Errer dicitur fundat conscientiam reflexam & rectam.

21. Dices. Voluntas restituentis inventum aut accommodatum in hoc casu non regulatur à cognitione erronea, sed à cognitione reflexa verissimâ, & evidentissimâ, qua omnibus notum est, laudabile esse, talia in talibus circumstantiis restituere. At hoc admissio, numquam verificatur, voluntatem rationi erranti conformem esse bonam.

Respondeo replicam esse verissimam, & in omnibus ejusmodi casibus locum habere, utpote in quibus ultimum conscientiae dictamen est certum & evidens. Sed hoc nec suffragatur Celladeo, nec solvit argumentum. Non suffragatur Celladeo, quia ille nullas ejusmodi cognitiones reflexas, quibus conscientia certè regulatur, admittit. Non solvit argumentum, quia hic non loquimur de ultimo conscientiae dictamine reflexo, sed solum de directo, quod erroneum est, & cui voluntas est etiam conformis, quamvis alia accedant cognitiones reflexae, à quibus potissimè regulatur. Ceterum quamvis tales cognitiones reflexae non darentur, adhuc doctrina allata esset vera, quia perspicuum est, talem voluntatem esse bonam ac laudabilem, quando reflexè consideratur. Unde reflexè scimus, errorem, si sit invincibilis, non tollere bonitatem ab actu regulato.

Præterea Augustinus in eodem sermone cap. 8. hæc habet. *Quid est magnum timere malum? magnum est non facere malum, magnum est amare bonum.* Unde subsumo. Sed sequens conscientiam invincibiliter errantem, liberè & ex electione sua non facit malum. Ergo magnum quid facit. Ergo bonam volitionem elicit; in rebus enim magnis, quæ mole carent, idem est esse majus & melius, ut alibi elegantissimè observat idem Augustinus, ideoque idem est magnum & bonum.

S. Augustinus tenet nullum actum esse indifferentem in individuo.

22. Legatur etiam Augustinus lib. de utilit. credendi, in quo multa ad fidem invincibiliter erroneousam, & ad effectus ab illâ regulatos spectantia tradit, quos ut bonos, ac reipublicæ, naturæque humanæ proficuos approbat. Exemplum sume ex cap. 12. ubi hæc habet. *Omne factum, si rectè factum non est, peccatum est. Nec rectè factum esse ullo modo potest, quod non à recta ratione proficiscitur. Porro recta ratio est ipsa virtus: cui autem hominum virtus, nisi sapientis animo præsto est? solus igitur sapiens non peccat: stultus ergo omnis peccat nisi in iis factis, in quibus sapienti obtemperaverit, &c.* Ex prima parte hujus textus perspicuum est, nullam opus, ex mente Augustini, esse indifferentem in individuo, quia omne illud est peccatum, quod non est rectè factum. Nec quidquam rectè fit, quod non à rectâ ratione, ac à virtute & prudentia proficiscitur. At opus à tali ratione regulatum, non est indifferentens, sed bonum. Et quidquid à tali ratione non regulatur, est peccatum. Ergo omne opus humanum vel est bonum, vel peccatum ex mente Augustini. At certum est, voluntatem, ab errore invincibili regulatam, non esse malam. Idque ex mente Augustini, & omnium est indubitatum. Ergo mens Augustini est, quod talis voluntas sit bona. Ecce quoad hoc punctum S. Augustinus S. Thomæ præluxit, nec dubium, quin uterque idem teneat, nempe idem prorsus esse opus humanum ac liberum excusari à peccato, & esse bonum.

23. In secunda parte hujus textus Augustinus

docet, utilius ac rationabilius esse rudibus, aliisque (quos ibi stultos nominat) si sapientibus per fidem obtemperant, quam si per rationem propriam seiplos gubernare satagant, eò quòd omne illud sit peccatum, quod à sapientia ac recta ratione ortum non habet. Hinc subsumo, sed certum est, ex mente Augustini in eodem capite, quod liberi, parentibus non veris, sed invincibiliter existimatis obtemperantes, non peccent. *Quis enim, ait, non videt pietatem, nisi ita sit (scilicet, nisi liberi credant hos esse suos parentes) sanctissimum generis humani vinculum, superbissimo scelere violari? Nam quis vel insanum culpandum putet, qui eis officia debita impenderit, quos parentes esse crediderit, etiamsi non essent? Ergo liberi, errore invincibili decepti, non peccant colendo parentes putatos, & veros parentes non colendo. Ergo rectè faciunt ex mente Augustini, alioquin eo ipso peccarent.*

Vtilius est rudibus prudentibus credere quàm proprio iudicio se gubernare.

24. Hinc sequitur ulterius, eos recta ratione directos operari, quia opus rectum non nisi ex præscripto rectæ rationis proficiscitur. Ergo opus ex errore invincibili ortum, ex mente Augustini, est opus virtutis. Unde sequitur Augustinum reipsa agnoscere, liberos sic errantes regulari in operando à ratione recta & sapienti. At illa ratio non est iudicium directè enuncians de honestate, & obligatione colendi hos & non alios, ut veros parentes, quia tale iudicium est erroneum; quod proinde nec verum est, nec sapiens juxta phrasim Augustini hoc loco, qui accipere videtur rationem rectam & sapientem non solum pro ratione vera, sed etiam pro ratione certa & manifesta. Ergo supponit dari aliam rationem reflexam, certam, sapientem, & propriè prudentem, à qua diriguntur, quæque dictum errorem, si forte intervenerit, respiciat tamquam circumstantiam objectivam, prout Auctores benignæ sententiæ fusè declarant, & ego hoc in opere non semel dixi, & dicturus sum, sed potissimè quæst. 41. ubi fusè de hac re tractandum erit. Quod si hoc non admittas, necessariò dicendum erit, ipsam errorem invincibilem esse ex mente Augustini rationem rectam; aliqua enim ratio recta est necessaria ad opus bonum, seu non malum. Ergo illa est vel cognitio directæ invincibiliter erronea, vel cognitio reflexa vera, certa, & evidens. Quodcumque dicatur, doctrina Celladei evertitur, & quæ à nobis tradita sunt, stabiliuntur. Ceterum utraque cognitio ad opus concurrat, sed diversimodè. Cognitio reflexa est certa & evidens, atque ad sapientiam seu prudentiam strictè acceptam pertinet. Ab hac cognitione voluntas immediatè dirigitur. Iudicium verò invincibiliter erroneum solum remotè concurrat ad opus à perfectâ & rigorosâ prudentiâ regulatum, quatenus est objectum novæ consultationis, ut dictum est, & loco citato explicabitur. Ceterum ipsa etiam ratio invincibiliter erronea oritur à prudentiâ strictè dictâ, nempe à cognitione certâ & evidenti, ut ostendi, quæst. 12. de conse. prob. à nu. 14. atque ab illâ merito vocatur ratio recta, seu rectè & prudenter elicit. Rursus eadem ratio est conformis appetitui recto, & ex hoc etiam capite non improprie est, & vocatur ratio recta & prudens. Sed de his fufius quæst. 41. Interim præfens Augustini doctrina quomodocumque sumatur per omnia contrariatur Celladeo, nobisque per omnia consentit.

Liberi honestè obtemperant parentibus tantum existimatis.

25. Rursus Augustinus lib. 22. contra Faustum, cap. 75. & refertur cap. quid culpatur. 23. quæst. 1. hæc

hæc habet. Ergo vir iustus si forte sub rege, boni ac etiam sacrilego militet, rectè potest illo iubente bellare, si vice pacis ordinem servans, quod sibi iubetur, vel non esse contra Dei præceptum certum est, vel utrum sit, certum non est; ita ut fortasse reum faciat regem iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo servendi. Hic duo dicuntur. Primum est, subditum militantem sub rege iniusta iubente, esse innocentem, modò non sit certum, regem iniusta præcipere. Secundum est, quod subditus ille rectè bellet. Unde subsamo: sed recta operatio apud omnes significat actum bonum & honestum. Ergo ex mente, immo ex expressis Augustini verbis habemus, voluntatem, tendentem in opera materialiter mala, aliquando esse rectam & bonam. Jam si unquam talis sit, utique talis est, quando error & ignorantia sunt prorsus invincibiles, ut in casu, quo subditus ille bellans, absque omni suspitione contrarii, crederet bellum esse iustum. Ergo Augustinus in terminis expressis Celladeo contradicit.

Subditus licet bellat si non conficit bellum esse iniustum.

Amor per se non falsò creditur boni sæpe est honoratus, & meritorius.

Item & amor rei malæ, si invincibiliter credatur boni.

S. Bernardus Celladeo contradicit.

Demum August. epist. 126. respondens cuidam, à quo propter virtutem, quam in se non agnoscebat, laudatus fuerat, expressè dicit, hanc laudem, seu dilectionem ipsi prodesse, etiam quoad meritum æternæ vitæ. Tibi, inquit, prodest ipsam diligere bonitatem; quam profectò diligit, quò cum diligit, quem credit bonum, sive ille se ita, sive aliter quam creditur, habeat. Deinde subdit hæc alia. Unus tantum in hac re c. v. n. l. error: ne quisquam, non de homine, sed de ipso hominis bono, aliter sentiat, quam ipsa veritas postulat. Ecce ex mente August. non officit bonitati, & merito actûs, si quis inculpate erret; applicando bonitatem, quam diligit, subiecto vel personæ, quam ob illam bonitatem falsò illi attributam diligit, modò bonitas, quam diligit, sit bonitas vera & non ficta; quod totum S. Doctor verbis sequentibus clarius expressit dicens: Tibi ad mercedem beatitudinis (æternæ) quod ad hanc rem attinget, satis est, quod nos tales credens, quales oportet esse servos Dei, toto cordis affectu amplecteris.

Porro, ut etiam ad hunc locum August. rectè observat Elparza in Appendice art. 201. eadem quoad hoc est ratio de deceptione circa bonitatem personarum, & circa rerum bonitatem; quod & in se verum est, & conforme menti Augustini, qui idem prorsus tradit de errore circa res, ut constat ex cap. quid culpatur, jam proxime expenso, ubi expressè asserit, subditum rectè bellare, quando à Rege suo vocatur ad bellum revera iniustum, modò invincibiliter ignoret iniustitiam belli. Hoc autem est ipsum, quod hic contendimus.

26. S. Bernardus de præcepto & dispensat. cap. 12. tradit subditum in rebus incertis obedire debere suo superiori non aliter, quam si Deus id ipsum præcipere. Tum ostendit nil interesse subditi, sive superior in percipiendi Dei voluntate fallatur, sive fallat in præcipiendi. Quiddam vice Dei præcipit homo, quod non sit tamen certum displicere Deo, haud secus omnino accipiendum est, quam si præcipiat Deus. Et paulò post cum sibi objecisset: Sed homines, inquit, facile falli in Dei voluntate de rebus dubiis percipiendi, & in præcipiendi fallere possunt. Statim respondet. Sed enim quid hoc refert tua, qui confisus non es, præsertim cum teneas de scripturis, quia labra Sacerdotis custodiam scientiam, & legem ex ore eius requirunt, quia angelus Domini exercituum est? requirunt, dixerim, legem, non quam vel authentica ulla scriptura tradiderit, vel ratio manifesta probaverit; de huiusmodi quippe, nec præceptor expectat. R. P. A. Terilli Regula morum. PARS I.

Bandus, nec prohibitor auscultandus est; sed quod ita latere, aut obscurum esse cognoscitur, ut in dubium venire possit, utrum Deus sic vel aliter forte velit; si non de labiis custodientibus scientiam & ex ore Angeli Domini exercituum certum reddatur, &c. ipsum proinde, quem pro Deo habemus, tamquam Deum in his, quæ non sunt aperte contra Deum, audire debemus.

Ecce Bernardus sentit, obedientem in rebus incertis laudabiliter ac meritorie operari, etsi contingat opus materiale vere esse contra legem Dei, alioquin plurimum subditorum interesset, quod superior nec falleret in cognoscenda, nec falleret in præcipiendi Dei voluntate; plurimum enim nostrâ interest, quod opera nostra plena sint non vacua. At vacua forent, quoties superior erraret, si Celladeus verum diceret. Ergo plurimum nostrâ interesset, quod superior non erraret, nec ulla dari posset pax in obediendo. At Bernardus vult plenam in obediendo pacem, asseritque nostrâ non interesse, quamvis superior in incertis aut fallatur, aut fallat. Ergo talia opera obedientiæ per Bernardum sunt plena, bona, & proficua. Ergo Bernardus Celladeo repugnat.

Error in præcepto non nocet obedienti.

21. Hinc alius Celladei error ex hac Bernardi doctrinâ refutatur. Celladeus contendit, nos nunquam posse per rationes reflexas magis certificari de honestate operationis, quam per cognitiones directas certificemur de honestate operis. Et sane, nisi hoc sustineat, tota ejus machina funditus ruit; quia si hæc certitudo reflexa semel admittatur, illa in omnibus aliis casibus controuersis reperiri poterit, quod cum Celladeus perspectum haberet, omnem, ut consequenter procederet, certitudinem reflexam negavit. At Bernardus asserit, subditos in rebus directe incertis debere obedire, eosque securos reddit de honestate obedientiæ, eò quòd in talibus Deus non ab ipsis, sed à superiore requisiturus sit, an materialiter peccarint, nec ne. Præterea probat ex sacra Scriptura, & ex ratione, quod Deus velit subditos in casu tali obedire. Ergo talis obedientia est honesta. Nec mirum, quia providentia Dei fuisset manca, nisi subditis providisset de regula conscientiam formandi pro tali casu. At providentia Dei non est manca. Ergo providit de tali regula, illamque nobis manifestavit. Hæc regula, est ipsa Dei voluntas reflexa, quæ sibi complacet in obedientia subditi, implementi iustitiam superioris materialiter malam, quando non constat illam esse prohibitam. Ergo dantur regulæ reflexæ, per quas certificamur de honestate operationis quando defunt regulæ directæ, quibus de honestate operis certificemur. Errat ergo Celladeus docens oppositum, nec errat utrumque, sed in hoc ipso SS. PP. sacram Scripturam interpretantibus contradicit.

Subditus certus est de honestate operationis, quam operis.

28. Idem Bernardus cap. 17. de præcepto & dispensat. expressis verbis docet, bonam intentionem, etsi in errore fundatam (intellige de errore invincibili) esse laudabilem, nec condigna retributione fraudandam, licet opus ipsum sit materialiter malum, & à Deo prohibitum; hæc enim habet. Et quidem laude dignam dixerim, vel solam intentionem piam, nec plane condigna remuneratione fraudabitur in opere quoque non bono ipsa bona voluntas: at tamen sine malo quocumque non eris decepta simplicitas. Quod ultimum ideo dicit, quia opus illud est materialiter malum, quod est ali-quale malum, tam intellectus, quam voluntatis: intellectus quidem, quia deceptus est, quod

Voluntas mali crediti boni est meritoria.

utique illi malum est; voluntatis verò, quia volitio illa non est tam meritoria, quam si non ex errore, sed ex cognitione certâ regulata fuisset, ut ex professo ostendam *quest. sequenti. Vide quest. 27. de consc. prob. à num. 30.* ubi hunc Bernardi textum expendens, ostendi illum à nobis contra adversarios stare, & quidquid in contrarium obiectum fuerat, dilui.

S. Bonaventura *tract. de gradibus virtutum cap. 2.* docet altissimum perfectissimumque obedientiæ gradum esse, cum obedimus homini indiscreto & discolori, & despecto, in persona Dei, qui multa imperat cum impetu, & sine discretionis & deliberationis, & quod utique inde consequens est, non pauca (tameñ non manifestè) contraria rationi & legi Dei. Totum hoc confirmat S. Doctor ex verbis S. Petri *epist. 1. cap. 2.* & ad illa alludens hæc subiungit. *Quasi dicat, non est meritum magnum bonis & modestis obedire, sed malis & discoloris.* Tandem mentem suam apertè prodit, eam cautionem ad extremum adiciens: Tamen cautè videatur, ne obediatur contra salutem: quod ex mente SS. PP. tunc solum evenit, quando quidpiam præcipitur, quod manifestè peccatum est. Hoc ergo excepto, dicendum juxta Bonaventuram, quamcumque obedientiam inculpata esse bonam, & continere veram virtutem, etiam illam, in qua superior discolor aut indiscretus malum, quod tamen manifestè malum non est, præcipit.

Idem tradit S. Gregorius.

S. Gregorius Papa *in 1. Reg. cap. 3.* hæc habet. *Ad promerenda æterna vitæ gaudia non exquiretur qualitas operis, sed mortificatio propriæ, & executio alienæ voluntatis.* At in sententiâ adversariorum, nisi qualitas operis inspiciatur, illudque bonum esse reperitur, obedientia nil juvat ad vitam æternam promerendam. Ergo contradicunt S. Gregorio, cujus verba ad omnem casum, in quo malitia operis non est manifesta, ex eo extendi convincuntur, quod sapius inculcet ac iteret particulam exclusivam, ut cum in antecedentibus, de obediendo loquens, dicit: *Nescit enim iudicare, quisquis perfectè didicerit obedire, quia hoc tantum bonum putat si præceptis obediatur.* Item, *obedientis animus in eo, quod agit, non nisi obedientia bonum pensat. Præceptum namq; in hoc solo pensari debet, quod majoris præceptum, &c.*

S. Ignatius Celladeo repugnat.

29. S. Patrem nostrum Ignatium allatis Sanctis adjungo, quia similia prorsus de obedientia tradit, idque non solum in Constitutionibus, sed etiam ex professo in Epistola de obedientia. Textus infra *quest. 46.* afferentur, & ponderabuntur, ex qua *quest.* multa huc transferri possent, sed ego malo eò Lectorem remittere, quam nimis multa absque urgenti necessitate duobus locis repetere. Itaque his hoc loco omisissis, aliquid ex libro exercitiorum spiritualium excerptam, quia Paulus III. librum illum post rigidum ac diligentissimum examen approbans, disertissimè dicit, *se omnia & singula in exercitiis illis contenta Auctoritate Apostolica, ex certâ scientiâ approbare, collaudare, ac præsentis scripti parrocinio communitur.* Itaque Ignatius propè initium in annotatione 15. vetat, tradentem exercitia impellere exercitatum potius ad unum, quam ad aliud vitæ institutum, & dat hanc rationem. *Licet extra exercitia licitum sit, & pro merito ducendum, si quis cælibatum, religionem, & aliam quamcumque Evangelicam perfectionem amplecti suadeat in omnibus, quos ex personarum & conditionum ratione probabile sit fore idoneos; longè tamen convenientius meliusq; est, inter exercitia ipsa id non attendere, sed Dei potius*

voluntatem querere & præstolari, &c. Ecce S. Pater non solum dicit eum non peccare, sed etiam meritorie agere, qui extra exercitia suadet religionem illi, quem probabiliter iudicat ejusmodi statui esse idoneum. Et tamen optimè norat, homines, talia iudicantes, in probabili illo iudicio nonnunquam errare. Eos tamen & à peccato excusat, eorumque industriam merito tribuit, quos imprudentiæ arguisset, si viros, tali statui non probabiliter creditos idoneos, ad id genus vitæ induxissent. At si in idoneum inducant, benè faciunt, modò probabiliter iudicent eum esse idoneum; maxime verò, si summè probabile sit, tales viros esse valde idoneos, nec ulla ratio in contrarium appareat. Et sanè exemplum hoc S. Patris est adeo manifestum, ut nemo videatur id posse negare. Sed saltem post Pontificis approbationem, adeo solemnem, nemo in posterum ejus rei veritatem negare audebit.

30. Idem S. Pater in eodem libro, in generali conscientie examine sub finem rituli de loquela, explicat quandomodo liceat de alterius peccatis loqui, & dicit, non solum licitum esse loqui de publicis criminibus, sed aliquando etiam de occultis, quoties, scilicet, occultum alterius crimen indicatur alteri, per cuius interventionem, ille relevari à peccato possit: dummodo rei hujus probabili aliqua ratio vel conjectura offeratur. Ecce S. Pater in eadem doctrinâ persistit, eamque alii etiam materiis applicat. Et quamvis hic solum dicat, licitum esse in eo casu delictum manifestare, non autem expressè addat, id esse meritorium, tamen absque dubio idem de hoc ac de priori actu sentit, quia eadem est ratio, ut patet. Et tamen qui sic manifestat delictum alterius decipi potest, illud ei revelando, qui non solum non est relevaturus peccatum, sed novum scandalum positurus. Itaque S. Ignatius, ejusque doctrinâ à sede Apostolica, etiam quoad hoc ipsum, approbata, nostram communemque sententiam confirmant.

Itaque hæc Celladei sententia apertè contrariatur communi Sanctorum Patrum sensui de merito ac studio obedientiæ cæcæ. Præter jam citatos, longum PP. Catalogum habes *quest. 46.* in qua ex professo tractatur de merito obedientiæ cæcæ, etiam in casu erroris. Omnes enim in eo conveniunt, quod nil referat, sine superior bonus an malus, discretus an indiscretus. At multum profectò, immo plurimum subditorum interesset, superiorem bonum esse & discretum, si merito obedientiæ carerent, quoties superior malus aut indiscretus ex pravitate vel ignorantia malum præciperet, quando malitia rei præceptæ subditos lateret. Itaque sententia ista communi SS. PP. opinioni ac consensui repugnat. Eademque plurimum de merito studio obedientiæ cæcæ, à SS. PP. summopere laudatè diminuit, cum sollicitos reddat omnes, ne superior sit malus vel indiscretus, ut patet; quia si ille mala præcipiat, quod à malo vel indiscreto superiori fieri primum est, subditus omni obedientiæ merito privatur, quamvis absque dubio existimet se bonum operari. Nemo ergo nisi imprudenter studio obedientiæ cæcæ se exerceret, cum per hoc ipsum periculo frustra in multis obediendi se committeret. Itaque sententia hæc, ex hoc etiam capite & falsitatis convincitur, & prorsus rejicienda est.

PROBATIO TERTIA
Ex jure Canonico & communi Auctorum
consensu.

31. **E**ADEM assertio, meo judicio, satis aperte definita est, in cap. inquisitioni. 44. de sent. excom. ubi Innocentius III. declarat, quod conjux, qui ex levibus tantum indicis, putat suum matrimonium esse nullum, licite possit exigere debitum conjugale, si ad consilium Pastoris levem illam credulitatem explodat. Et quidem, inquit, ad sui Pastoris consilium (conscientia levis & temeraria credulitatis exposta) licite potest (conjux) non solum reddere, sed exigere debitum conjugale, unde sic arguo. Quidquid Deus per Ecclesiam declarat esse licitum, id certo licitum est, & à Deo permissum. At Deus per Ecclesiam declarat, petitionem debiti conjugalis esse licitam in circumstantiis dictis. Ergo illa certo est licita in illis circumstantiis, & à fortiori, quando nulla prorsus adest suspicio de impedimento matrimonii. Ergo Deus per Ecclesiam declarat, petitionem debiti esse licitam in dictis circumstantiis, quamvis praeter intentionem contingat, matrimonium esse nullum, modo aut nulla omnino sit suspicio de impedimento, aut certe si quae fuerit levis tantum & temeraria suspicio, conjux, debitum petiturus, illam ex Pastoris sui consilio explodat. Ergo Deus per Ecclesiam declarat, petitionem debiti conjugalis in dictis circumstantiis esse licitam, quamvis illud postulans reguletur à conscientia erronea, quae invincibiliter putat se à propria uxore debitum petere. Hinc autem sequitur, talem petitionem esse actum bonum & honestum, quia certum est, quod conformetur voluntati Dei permissivae, aut etiam praeceptivae, si loquamur de redditione debiti. At quidquid tali voluntati conformatur, est bonum & honestum, maxime si ideo ponatur, quia cognoscitur esse conforme dictae voluntati, cum per hoc prima & infallibili omnis honestatis ac moralitatis Theologiae regula conformetur. Ergo voluntas, rationi etiam circa prohibita jure naturae invincibiliter erranti conformis, est bona.

32. Demum constans & unanimis omnium Theologorum sensus est, actus conformes judicio invincibiliter erroneo esse moraliter bonos. Neque ex Auctoribus, qui à centum annis scripserunt, quemquam aliter sentientem reperio. Sed apud Sanchez lib. 1. in Decalogum cap. 11. prorsus in fine, lego, Martinum de magistris, & Angelum docuisse oppositum, quorum opinionem Almainus, & posteriores Theologi unanimiter exploderunt. Porro omnes communiter, & efficaciter quidem, inde probant, tales actus esse bonos, quod actus indubie specificentur à suis objectis, non praecise ut sunt in se, sed ut representantur per intellectum. Ergo si objectum in se malum invincibiliter representetur ut bonum, malitia illius est prorsus involuntaria, nec influere potest ad actum specificandum. Ergo actus ille specificabitur à bono, quod invincibiliter proponitur. Et sane repugnat, actum non accipere speciem à motivo, in quod tendit, juxta rationem, sub qua tendit. At tendit in illud sub ratione boni: Ergo actus accipit speciem bonitatis illius. Ergo est bonus, & quidem illa specie bonitatis, quae absque vitio intellectus aut voluntatis representatur. Praeterea verissimum motivum virtutis representatur, quamvis falso applicetur huic objecto materiali. Ergo nil impedit, R. P. A. Terilli Regula morum, PARS I.

quo minus verum motivum virtutis specificet actum, ad quem movet, illique speciem ejusdem virtutis tribuat.

33. Haec ratio, etsi sola afferretur, efficaciter concluderet intentum, verum mox plures afferam. Sed & auctoritas huic assertioni favens tanta est, ut, infra infallibilem, vix aut ne vix quidem major reperitur. Periculosum autem est à ratione tam efficaci, & multo magis à tanta auctoritate recedere, saltem sine gravissimis fundamentis, quibus certe Celladeum in hac re carere pauidè post in solutione objectionum convincam. Nunc eo capite redarguendus est, quod cum in operis sui initio jactet se ex sacra scriptura, & ex SS. PP. doctrinam suam haecurum, in re tamen tanti momenti, nec locum ullum ex sacra scriptura, nec textum unum ex S. Patrie, nullum Canonem, sed ne vel unum quidem Theologum pro se citarit, aut ex famosis, qui à centum annis scripserunt, ni fallar, citare possit. Quis ergo audebit illi soli contra talem testium nubem, & contra auctoritatem tantam, rationem quae tam validam assensum praebere?

Auctoritas, intra infallibilem, maxima, tenet opus ex errore esse aliquid bonum.

PROBATIO QUARTA
Ex multiplici ratione desumpta.

34. **P**ROBATUR primò. Quamvis intellectus in directa consideratione erret, tamen, si error sit invincibilis, per considerationes reflexas verissimas consurgere potest ad formandam conscientiam veram & certam de honestate operationis, ut constat ex allatis exemplis, & fuse ostensum est in quaestionibus de conscientia prob. & infra, multis in locis, pluribus convincitur. Ergo licet error invincibilis per se non sufficeret ad honestatem refundendam in actum, honestas tamen, occasione illius erroris, saepe refunderetur in actum per principia reflexa certa & evidentia, quae distant, opus illud hic & nunc esse licitum, & à Deo permissum, ac proinde illud conformari divinae voluntati, quae est prima regula omnis honestatis. Ergo talis actus verè est honestus. Sed de his exemplis plura inferius dicenda erunt.

Ratio 1.

Praeterea hinc sic arguo. Omne licitum honestè eligitur, si ad finem debitum ordinetur. Ergo quod ex errore est licitum, honestè eligitur, quando ad finem debitum ordinatur. Antecedens est certum, quia omnia quoad speciem indifferentia evadunt honesta, si ad finem bonum ordinentur. Certè S. Paulus expressè consulit, ut quaecumque facimus, ad Dei honorem faciamus. Nominat autem complures res quoad speciem indifferentes. Tenet consequentia, quia quod ex errore licet, continetur sub universali expressione antecedentis, nec est, cur unum ex contentis per additionem boni finis potius evadat bonum, quam aliud. Praeterea cum certè sciamus, opus ex errore invincibili factum non esse malum, etsi ad nullum bonum finem ordinetur, utique scimus illud ita acceptum esse indifferens, id est nec bonum, nec malum; est ergo indifferens quoad speciem. Ergo si addatur finis bonus, opus illud æquo jure evadet bonum, ac quodvis aliud opus indifferens.

Ordinatio ad finem bonum inducit bonitatem in opus.

35. Probatur secundò. Error invincibilis, quo malum creditur bonum, vel bonum putatur malum, duplex est; alius solum dicitur illud esse permissum, alius enunciat illud esse praeceptum, vel vetitum. Prima ratio procedit in casu primi erroris; haec secunda arguit ex suppositione secundi

Ratio 2.

Error invincibilis obligans fundat actum bonum.

cundi erroris. Existimet iudex invincibiliter, se debere condemnare innocentem, legitimè probatum reum (suppono jam sententiam illam esse falsam, quod si illa supponatur esse vera, exemplum ponatur in iudice invincibiliter credente se obligari ad innocentem, legitimè probatum reum, non condemnandum, quia perinde est, in quo casu argumentum exemplificetur) dico voluntatem, tali iudicio conformem, esse bonam. Probatur sic, qui implet obligationem, qua inevitabiliter premitur, bene facit, quia voluntati Dei hic & nunc præcipientis obedit, illi que se submittit; quod bonum est, & patenter honestum. At iste condemnando innocentem, implet obligationem, qua inevitabiliter premitur, quia invincibiliter credit se ad hoc obligari, quo errore stante sequitur certa persuasio, quod Deus in istis circumstantiis illum obliget ad innocentem condemnandum, quia verè tenetur ad illud faciendum, & ipse cerò scit se ad illud teneri, nec aliter posse obligationem implere, quam innocentem condemnando. Ergo bene facit hic & nunc innocentem condemnando. Idem argumentum à fortiori valet in casu reddentis debitum conjugale, quia Ecclesia expressè declaravit id reddi debere, quando non constat matrimonium esse nullum, &c.

Confirmatur: qui facit quantum scit & potest, ut peccatum vitet, & sic faciendo illud vitat, laudabiliter operatur, quia implet omnem obligationem, nec in ullo deest suo officio & obligationi. At iudex condemnans innocentem in casu allato, facit quantum potest ad vitandum peccatum, illudque sua libera electione vitat, ergo honestè & laudabiliter operatur.

Confirmatur secundò. Iudex ille format hunc discursum: Deus hic & nunc, omnibus inspectis, obligat me ad condemnandum innocentem; scio enim me inevitabiliter ad hoc ipsum obligari. Ergo bene facio illi obediendo. At non aliter illi obedire possum, quam condemnando innocentem, quia nisi illum condemno, inevitabiliter pecco. Ergo bene facio innocentem condemnando, quia stante hac persuasione, quam nec deo nec possum amoliri, verè obligor ad hoc faciendum.

Ratio 3.

36. Probatur tertio. Malitia moralis non est essentialiter connexa cum ullo objecto, cujus malitia invincibiliter ignorari potest, quia omne objectum ejusmodi poni potest ex tali ignorantia, & consequenter absque peccato. Ergo omne ejusmodi objectum est indifferens, ut refundat, vel non refundat malitiam moralem in sui prosecutionem, quia, prout substat hisce circumstantiis, inducit malitiam, sed prout substat aliis, illam non inducit. Unde sic arguo: objectum, quod prout substat variis circumstantiis, modò est, modò non est moraliter malum, est etiam indifferens, ut, prout substat aliis circumstantiis, evadat moraliter bonum. Ratio est, quia denominatio mali vel non mali moraliter in tali objecto completur per additionem harum, vel illarum circumstantiarum. Ergo ratio mali moralis separatur à tali objecto, quando circumstantia, quibus subest, nil mali includunt, ratione cujus prosecutio objecti in illis possit esse peccaminosa. Talis circumstantia est omnimoda incogitantia vel ignorancia invincibilis mali latentis, aut error invincibilis dictans objectum esse bonum. Ergo si objectum illud substat circumstantiis non solum non malis seu excusantibus, sed etiam bonis & ad bonum finem ordina-

Voluntas errori invincibili conformis est bona.

tis, evadet honestè eligibile; sicut enim ista circumstantia efficiunt opus bonum, quod ex sua specie est indifferens, & auferunt malitiam ab eo, quod verè est malum, quia communicant suam qualitatem objectis, quibus applicantur; ita pariter eandem qualitatem bonitatis tribuunt malo, quod invincibiliter creditur bonum. Neque enim est causa aut possibilitas, ob quam reddant bonum, quod ex se bonum non est, aut efficiant non malum, quod naturà suà est malum, quæ æquè non probet, quòd non possint omne illud bonum reddere, à quo alia circumstantia omnem malitiam prius abscedunt. Stat ergo voluntatem errori invincibili conformem esse bonam.

37. Probatur quarto. Omne malum est involuntarium, quoties illius malitia invincibiliter ignoratur, aut reipsa invincibiliter creditur bona. Ergo malitia objecti in talibus circumstantiis nullo modo applicatur voluntati, sed in ordine ad actus humanos eodem modo se habet, ac si realiter non esset in ipso objecto; nil enim pertinenter se habet ad actus humanos, nisi quod est, & quatenus est voluntarium. Ergo quod non est voluntarium, ad illos perinde se habet, ac si non existeret. Sed si tale objectum reipsa non esset malum, hæc ipsa ejus electio in istis circumstantiis esset honesta. Ergo eadem hic & nunc est honesta, quamvis objectum ipsius sit reipsa prohibitum; tum quia hæc numero volitio, aut certè alia ejusdem penitus speciei, elicitæ fuisset in illo casu, tum quia malitia objecti nullo modo applicatur voluntati. Ergo sicut ob defectum hujus applicationis nequit malitiam refundere in volitionem, per quam ponitur, ita nequit impedire bonitatem & honestatem, quæ resultaret in prosecutionem ipsius, si abesset. Ergo voluntas conformis rationi invincibiliter erranti est bona.

38. Probatur quinto. Impossibile est, ut ex duobus hominibus unus bene, alter non bene operetur, quando uterque habet similes profusus actus tam in intellectu, quam in voluntate. Ratio est, quia omnis perfectio nostra est nobis intrinseca, nemo enim per extrinsecum perficitur formaliter, si omnia intrinseca maneat profusus invariata. Præterea Deus, utpote æquissimus Iudex, unumquemque amat aut odit juxta qualitatem actuum, quos elicit. Ergo non potest unum amare, & alterum non amare, si uterque similes profusus actus eliciat. At amaret unum & non alterum ob actus profusus similes, si unus illorum bene, & alter non bene ageret. Ergo fieri nequit, ut unus illorum bene agat, quin alter etiam honestè operetur. Tertio demum, similibus causa formalis in eodem subjecto semper dat similem effectum formalem. Ergo si hi actus reddant hunc hominem bene operantem, alii actus profusus similes eum etiam bene operantem constituent; alioquin formæ profusus similes eodem subjecto inexistentes constituerent composita dissimilia, ac specie diversa, quod repugnat. Hinc sic arguo: Si voluntas rationi invincibiliter erranti conformis non esset bona, ex duobus habentibus actus profusus similes in intellectu & voluntate unus bene, alter non bene operaretur. At consequens est falsum. Ergo & antecedens. Sequela majoris est evidens in casibus innumeris. Sufficiat unum expendere. Contingit sæpè duo matrimonia celebrari in circumstantiis apparentibus omnino similibus, quamvis ex una parte & non ex altera datur impedimentum matrimo-

nii.

iii. In hoc casu conjuges isti bonam fide petentes & cedentes debitum habent actus prorsus similes, tam in intellectu quam in voluntate, cum omnia specificativa talium actuum sint prorsus similia, actusque illi eodem modo representent sua objecta, atque eodem modo erga illa afficiantur. Nihilominus unus eorum invincibiliter errat. Ergo si voluntas illius non sit bona, ille petendo & reddendo debitum non bene faciet. Alter tamen bene facit. Ergo sequela majoris est manifesta. Idem argumentum locum habet in omni casu erroris invincibilis, ut patet.

Ratio 6.

39. Probatur sextò. Omnis actus prudens est honestus. Sed voluntas conformis rationi invincibiliter erranti est prudens, & regulatur à judicio prudenti; quia tam actus voluntatis regulatus, quam actus ille erroneus regulans est conformis appetitui recto, ideoque est proprie prudens, ut ostensum est *quest. 12. de conscientia probabili à num. 14.* & fusius declarabitur inferius *quest. 41.*

Ratio 7.

40. Probatur septimò. Omne iudicium invincibiliter erroneum, & omnis volitio à tali iudicio regulata originem ducunt à iudicio prudente, certo & evidente, & à voluntate certo honesta, à quibus derivantur tamquam effectus à propria causa, & sunt fructus proprii talis arboris. Ergo sunt actus boni & honesti, quia omnis arbor bona bonos fructus facit, testante Christo *Matth. 7. vers. 17.* Et sane impossibile est, ut quod per propriam causalitatem à bono descendit non sit bonum. Tenet ergo consequentia.

Judicium invincibiliter erroneum est ratio recta.

Antecedens latè probatum est *quest. 12. de conscientia prob. ex qua argumentum, quo usus sum, breviter sic expono.* Omne iudicium obscurum dependet ab imperio voluntatis, & quia non datur processus in infinitum, necesse est, ut iudicium, à quo voluntas imperans dirigitur, sit evidenter verum, alioquin opus esset alio imperio, & consequenter alio iudicio, & sic in infinitum. Ergo imperium imperans assensum invincibiliter erroneum est bonum & honestum, quia dirigitur à cognitione vera & evidente. Rursus cognitio evidens, à qua voluntas imperans assensum obscurum dirigitur, non imperat se habet ad iudicium imperatum, sed dicitur, iudicium illud rectè ac laudabiliter imperari. Ergo iudicium invincibile subsequens ortum sumit à cognitione vera, & à volitione honesta. Ergo non potest non esse iudicium prudens, & ratio recta, cum sit conforme appetitui recto antecedenti, à quo regulatur, & imperatur. Jam si hoc iudicium erroneum dicitur, aliquid esse bonum, quod est malum, & multo magis si dicitur aliquid esse præceptum, quod verè est prohibitum, perspicuum est, volitionem objecti sic propositi esse connaturalem ac immediatum effectum iudicii erronei, à quo dirigitur, quia homo non nisi turpiter & peccaminose sistere potest in illo iudicio, omitendo ulteriorem illius causalitatem, ut patet. Ergo à primo ad ultimum tam iudicium invincibiliter erroneum, quam volitio ab illo regulata ortum sumunt à cognitione certa & evidenti, ac à volitione certo honesta per conformitatem cum suo objecto. Ergo sunt actus prudentes, boni, & honesti; quia quod per directam causalitatem sequitur à prudentia & honestate, non potest non esse prudens, bonum, & honestum. Si plura de hoc argumento cupias, lege *quest. 12. proximè citatam à num. 14. usque ad finem, maxime verò num. 21. & 22. ubi plura huc spectantia, & qui-*

R. P. A. Trilli Regula morum. PARS I.

dem perspicue veritatis effi aciter stabilita, invenies.

41. Probatur octavò. Actus, conformis regulæ suæ proximæ à Deo institutæ, & cui ille vult actionem conformari, est bonus, rectus, & honestus. At voluntas, conformis rationi invincibiliter erranti, est conformis regulæ suæ proximæ, nempe conscientie optimo modo nobis possibili constitutæ, cui Deus vult & jubet nos actiones nostras conformare, quoties illa proponit rem ut præceptam, & semper permittit actionem poni juxta illam. Nec dubium, quin Deus ipse homini lapsò regulam hanc stabiliverit præ eius directione, cum aliter aut melius dirigi non possit. Ergo voluntas conformis rationi erranti est bona.

Ratio 8.

42. Probatur nonò. Omnis actus liber, qui procedit à voluntate in omnibus rectè disposita est bonus. Sed omnis actus conformis rationi invincibiliter erranti est actus liber, qui procedit à voluntate rectè disposita. Ergo omnis actus conformis rationi invincibiliter erranti est bonus. Consequentia haud dubiè legitima est. Major patet, quia actus liber est actus potentie volitive, ideoque non potest non imitari dispositionem potentie, à qua procedit. Ergo si dispositio potentie illius sit bona, actus, qui prodit à potentia sic disposita, erit bonus, sicut erit malus; si prodeat à potentia malè disposita; quia arbor bona bonos fructus facit, & arbor malà malos, nec aliter potest evenire. Minor ex eo constat, quod homo, bona fide sequens dictamen conscientie invincibiliter errantis, amet motivum virtutis, ideoque ut optimè constituatur alio non indiget, quam rectificatione intellectus, quod pluribus probabitur *questione 41.* Ergo talis homo nullum habet defectum ex parte voluntatis.

Ratio 9.

43. Atque hinc iterum sic arguo. Quod procedit à corde rectè disposito bonum est, & placitum coram Deo & hominibus; coram Deo quidem, quia ipse intuetur cor, & non secundum faciem, sed juxta cordis dispositionem judicat. Præterea ipse Deus in sacris literis frequenter laudat eos, quorum cor erat rectum coram ipso, eosque reprehendit, quorum cor rectum non erat. Ratio est, quia omnis actus meritorius & demeritorius est proprium opus cordis; omnis enim virtus, & omne peccatum è solo corde procedit. Unde si cor sit rectum, omnia bene procedunt coram Deo, qui scrutatur corda & renès, & intuetur cor, & judicat non secundum faciem, sed secundum cor. Ratio autem id ipsum evincens est perspicua, quia Deus nil emolumenti aut detrimenti accipit ex operibus nostris, sed hoc unum à nobis exigit, ut ipsum honoremus, & quantum possumus voluntatem ipsius impleamus, atque ut illum sincero corde diligamus. Hoc qui præstat, Deo placet, & Deo Deique voluntati conjungitur. Ergo bene operatur. Atqui perspicuum est, hæc omnia ab illo impleri ac perfici, qui sequitur conscientiam invincibiliter errantem, quia Deum honorat, & ad Dei placitum divinique præcepti impletionem, quantum scit & potest, anhelat. Ergo bene facit.

Opus ab errore invincibiliter regulatum procedit à corde bono & recto.

Idem locum habet in humanis; nemo enim non amat hominem, qui omnia faceret, quæ, post omnem diligentiam in veritate indaganda adhibitam, invincibiliter putaret ipsi placere, quamvis per accidens contingeret illum errare. Ratio est, quia opus ex bono & amabili affectu procedit.

procederet, ideoque voluntas executiva operis esset amicabile, & consequenter homini grata, quidquid sit de opere secundum se considerato. Jam si hoc locum habeat in homine, cui opus ex errore patratum potest esse nocivum, etsi credatur proficuum, multò magis locum habet in Deo, cui nil damni potest inferri.

Ratio 10.

44. Probatur decimò, exemplis manifestis. Primum sumitur ab uxore reddente debitum viro non suo, sed qui absque ullà ratione dubitandi invincibiliter creditur esse suus. Talis redditio debiti est non solum licita, sed præcepta, ut constat tum lumine naturæ, tum ex perspicuâ Ecclesiæ declaratione, in cap. *inquisitioni, de sententiâ excom.*, & cap. *Dominus, de secunda nuptiis*, ergo est honesta. Et sanè, quis non videt talem faminam eo titulo laudabilem esse, quòd viro suo debitum reddat, sicut esset vituperabilis, si illud denegaret. At nemo laudabilis est, nisi propter actum virtutis, ut patet. Ergo talis redditio debiti est honesta.

Secundum exemplum est Judicis ex errore invincibili condemnantis reum, legitimè convictum criminis. Judex enim per hoc quòd hic & nunc talem hominem damnet, munus suum implet, à quo turpiter deflecteret, nisi illum mortis reum pronunciaret, mortique traderet. Ergo Judex aliquando honestè damnat innocentem, quia propter talem damnationem omnes illum laudant; nec solum illum laudant, quamdiu præsumptio manet, quòd à testibus deceptus non fuerit, sed etiam postea, quando aliunde constat, testes falsa deposuisse, dummodo simul constet, Judicem partes suas implevisse, & invincibiliter ac inculpabiliter deceptum fuisse. Hæc laus, judici taliter judicanti ab omnibus attributa, est evidens indicium, quod bene fecerit taliter judicando.

Liberi obtemperantes parentibus putativis implent legem naturæ.

45. Tertium exemplum sumitur à filio familiaris negante obedientiam filialem, & alia obsequia vero patri, eaque tribuente patri invincibiliter existimato; filius enim iste licitè ac laudabiliter negat obedientiam patri vero, modò nullam habeat, aut habere possit notitiam, quòd sit ipsius pater. Similiter honestè tribuit obsequia filialia illi, qui non est nisi putativus ipsius pater. Nec mirum, quia sicut meretur vituperium, qui patri taliter putato non obtemperat, ita laude dignus est, qui cæteris paribus ejus voluntatem alienæ suasioni ac voluntati præfert, cum per hoc ita impleat præceptum naturale, quo unusquisque ad obedientiam parentibus exhibendam obligatur, ut aliter illud implere non possit. Et sanè negare, liberos sic operantes rectè & benè facere, est negare, homines implentes legem naturæ benè facere. Certè liberi isti non aliter implere possunt legem obediendi parentibus, quam operando ut operantur; quia aliter operando illam violarent, ut patet.

46. Quartum exemplum sumitur à fidelibus Eucharistiam cultu latræ adorantibus. Haud dubiè enim talis adoratio licita est & honesta, etsi adorantes eam, certè non sint Christum verè latère in Hostia, quam adorant. Hoc posito sic, contingit aliquando hostiam cultui expositam non esse verè consecratam, ita tamen ut defectus consecrationis ab astantibus nullatenus discerni possit. In hoc casu adorantes Eucharistiam eisdem prorsus actus eliciunt tam in intellectu, quam in voluntate, quos eliciissent, si hostia verè consecrata fuisset, ideoque non minus honestè operantur, quam quando hostiam verè

consecratam adorant. Ergo æquè sanctè operantur in uno ac in alio casu. Sed & ipsi rustici talem adorationem exhibentes certò sibi persuadent, & clarè vident, se in hoc honestè operari. Plurima alia ejusmodi exempla sunt obvia. Puta possessoris retinentis rem verè alienam, atque de illa eleemosynam largientis, quando ne per umbram quidem suspicari potest, rem illam ad se non pertinere. Adde tam religiosum obedientem Prælato, quam subditum sub rege bellantem, quando invincibiliter credunt, omnia jussa juberi. Idem valet de medico, qui juxta artis præscriptum invincibiliter errat ob latentia morbi signa, & medicinam noxiam præscribit. Hi omnes benè agunt, & norunt se benè agere, etsi error in judicium forte irrepit.

47. Jam nos in hisce omnibus certam & indubitam honestatem agnoscimus, non quia opus ipsum secundum se sit honestum, sed quia quamdiu ita se res habent, ut facta omni diligentia, nemo nisi imprudenter & temerè dubitare possit, quin res illa sit materialiter honesta, statim per principia reflexa conscientia certa & evidens formatur de honestate operationis, quidquid sit, an opus ipsum secundum se verè sit tale, an solum putativè tale habeatur. Scio, Celladeum non libenter audire quidquam de istis discursibus reflexis, sed, velit nolit, veritas stabit, & unicuique oculus non claudens patefiet. Quis enim non videt, homines in talibus casibus operantes longè certius agnoscere, se non peccare, sed benè & laudabiliter operari, quam quòd in discursu suo directo non errent? At hæc major certitudo, aliunde provenire nequit, quam à principiis reflexis, ut patet. Ergo illa locum habent, ubi principia directæ defunt, majoremque certitudinem afferunt, quam quæ à principiis directis haberi potest.

48. Præterea si Celladeus, aut alius quisvis neget hujusmodi exempla vim habere, asseratque nullas hujusmodi actiones bonas esse, aut ullam moralitatem habere, profectò is plurimas, nobilissimas, atque etiam difficillimas vitæ humanæ actiones, pro quibus homines ab omnibus naturæ instinctu laudantur, omni honestate privabit, quod quàm à ratione alienum sit, nemo non videt. Quod si dicat, actiones istas esse bonas, ut omnis cordatus dicere debet, tota ipsius machina funditus evertitur, & quidquid contra benignam sententiam congescit, atque supra debile hoc fundamentum extruxit, sponte labitur; neque enim ulla ratio afferri poterit, ob quam actiones istæ, etsi materialiter malæ, evadant bonæ, quæ universaliter non probet, omnes omnino actiones, à judicio practicè probabili regulatas, non solum ab omni turpitudine esse immunes, sed etiam, quod consequens est, easdem laudabiles esse & honestas, quod unicè *hac in quæst.* probandum suscepimus.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

49. **O**BJICIT PRIMò. Qui dicit, conscientiam erroneam facere operationem bonam, dicit, conscientiam erroneam facere voluntatem rectam; nam omne bonum est rectum. At hoc est dicere, conscientiam erroneam esse rectam, quia nil potest esse rectum per hoc, quod conformetur non recto. Ergo qui dicit voluntatem conformem conscientie erroneæ, per conformitatem ad illam, esse rectam, dicit conscientiam erroneam esse rectam, quæ est aperta contra-

contradictio; quia est dicere, conscientiam non rectam esse rectam, cum conscientia recta distinguatur ab erronea. At idem valet de ratione errante, quia ex ratione errante saepe resultat conscientia erronea. Et sane, dicere operationem esse rectam per conformitatem cum regula errante, seu non recta, perinde est ac dicere, lineam esse rectam, quae dicitur juxta processum lineae curvae. Ita Celladeus §. 2.

Celladeus non imitatur S. Thomam, quia sequi praetendit.

50. Respondeo mirum mihi videri, quod Celladeus, ex occasione doctrinae S. Thomae haec tractans & objiciens, nullibi mentionem fecerit distinctionis conscientiae vincibiliter & invincibiliter erroneae, cum tamen S. Thomas totus sit in ea distinctione explicanda, & juxta illam totam suam doctrinam tradat, Nonne mirum est, virum doctum praetendere se sequi alium, illiusque vestigiis inhaerere, atque in ipsius rationatione se fundare, & tamen in toto suo discursu non uti nisi terminis generalibus absque ulla distinctione, cum tamen ille alius totus in eo sit, ut terminos generales distinguat in membra opposita, atque juxta terminos sic distinctos quaestionem resolvat? Hoc praestat Celladeus, quia praetendit sequi S. Thomam, aliis tamen quam generalibus terminis conscientiae erroneae non utitur, cum S. Thomas totus in eo sit, ut erroneam conscientiam invincibiliter & in vincibiliter erroneam distinguat, & juxta distinctionem illam quaestionem resolvat. Hoc praemisso.

In primis respondeo, argumentum procedere de subiecto non supponente, quia in praesenti casu erroris & ignorantiae invincibilis, intellectus per principia lyanderis reflexa consurgit ad formandum ultimum conscientiae dictamen certum & evidens, & haec est regula, cui operatio honesta conformis est, & a qua rectitudinem accipit. Itaque nos nunquam dicimus, conscientiam erroneam, sed solum conscientiam rectam ac veram reddere operationem rectam & bonam, ut patet. Equivocatio Celladei in eo est sita, quod confuderit dictamen directum & non ultimum cum ultimo dictamine conscientiae, & quia saepe contingit primum falsum esse, quando secundum est verum, arguit, ac si nullum esset aliud dictamen, quam illud erroneum, quod est ex subiecto non supponente procedere.

Conscientia invincibiliter erronea est recta.

51. Verum demus Celladeo, nullum in ejusmodi casibus exurgere conscientiae dictamen certum & evidens, sed solum incertum & probabile. Hoc posito sic Judicium istud, saltem quando verum est, sufficit ad refundendam honestatem in actum. Ergo simile dictamen, etsi sit falsum, honestatem etiam refundet in operationem, quia similes causa haud dubie similes effectus producant. Dixi, simile dictamen, id est, dictamen invincibiliter erroneum, quia hoc solum, ut pote simili motivo nixum, & a simili volitione imperatum, est simile iudicio probabili vero, ut patet. Itaque, stante hypothese, dico conscientiam invincibiliter erroneam esse conscientiam rectam, non per conformitatem cum suo objecto, sed per conformitatem cum appetitu recto, ut ostensum est *quest. 12. de consc. prob. a num. 14.* & infra fuse deducetur *quest. 41.* Praeterea talis voluntas est recta, quia conformis est omnibus legibus, quibus homo illam eliciens verè ligatur. At quod illis conforme est, & ab illis regulatur, est rectum, ut patet. Est etiam recta, quia originem ducit a primo dictamine vero, quod enunciat, illam honestè, laudabiliter, ac rectè elici. Rursus est regula, quam

Deus lapsis hominibus dedit, ut illi suam operationem conformarent, quia Deus aliam illis regulam proximam non dedit, quam quae ab illis haberi potest, id est optimum dictamen, quod per debitam diligentiam haberi potuit. Neque enim aliud a nobis exigit Deus in conscientia formanda, quam ut illam formemus optimo modo, quo possumus. Ergo qui conscientiam sic format, adhibet regulam, quam Deus vult illam adhibere, & cui vult operationem ipsius conformari. Talis autem operatio bona est, quia conformis est regulae a Deo instituta.

52. Nec dicas, nullam rationem erroneam esse rectam; conscientiam autem illam supponi erroneam, ac proinde non esse rectam. Nam contra est, quia tamen ratio illa non sit logicè recta, sed erronea, tamen, ethice loquendo, recta est, cum in ordine ad operationes humanas dirigendas aequivaleat verae, & juxta considerationem moralem habeatur instar cognitionis verae, quamvis re ipsa logicè loquendo a veritate aberret. Hoc autem est rationem esse ethice rectam. Stat ergo, conscientiam invincibiliter erroneam, esse solum logicè falsam, sed ethice rectam. Et sane in hoc omnes ethicam tractantes naturae ductu cum Aristotele confensisse videntur, quia omnes conscientiam ac rationem dividunt, non in veram & falsam, sed in rectam ac erroneam; quae certè locutione aliud significare intendebant, quam conscientiam logicè loquendo esse veram aut falsam. Itaque, nomine conscientiae erroneae simpliciter dictae solum intelligebant conscientiam vincibiliter errantem, & illam opposuerunt conscientiae in latiori significatione rectae, tanquam membrum prorsus oppositum, sicut revera oppositum est. At, nomine conscientiae in latiori significatione rectae, intellexerunt conscientiam invincibiliter formatam, illa enim est regula hominibus data, & consequenter est apta regulare operationem rectam, ac proinde ipsa ethice recta est. Rursus illa eadem est conformis appetitui recto, & a iudicio vero, rectaque voluntate suam originem ducit, ideoque recta est in sensu ethico, in quo solum nunc loquimur, etsi logicè loquendo recta non sit, cum logici ad solam veritatem seu conformitatem cum objecto, ethici verò potissimè ad leges divinas, & regulas a Deo statutas, ac ad operationes intellectus & voluntatis a quibus actiones nostrae derivantur, respiciant, ut illas rectas nominent. Dicimus ergo, retentà hypothese, conscientiam invincibiliter erroneam esse ethice rectam, in quo nulla est contradictio, nisi quam Celladeus falsè imaginatus est; neque enim sunt membra opposita, conscientia logicè erronea, & conscientia ethice recta, sed solum conscientia ethice seu vincibiliter erronea, & conscientia recta, ut constat ex dictis, & stante hypothese, ex unanimi omnium consensu (si Celladeum excipias) convincitur.

53. Respondeo tertio, rationem seu conscientiam invincibiliter erroneam non errare in representando vero motivo virtutis, sed solum in illo indebitè applicando materiali objecto. Hoc perspicuum est, totamque objectionem confutavit. Conscientia siquidem logicè erronea, non aliter reddit volitionem bonam & rectam, quam quia representat verum motivum virtutis, a quo actus voluntatis specificatur. Fateor ergo, nil esse posse rectum per hoc, quod conformetur non recto, si illud non sit rectum in eo, a quo alterum debet rectificari. Sed si conformetur non recto

Error invincibilis non errat in eo, quod regulat honestatem.

in eo, à quo non debet rectificari, hoc non impedit illius rectitudinem, modò conformetur illi in eo, à quo solo rectificari debet. Doctrinam hanc, paulò subtiliorem sed verissimam, exemplo declaro: existimet quis, se mortaliter peccasse, quando nullo modo peccavit. Excitet se homo ad actum contritionis de peccato suo existimato, non vero, atque per contritionem detestetur opus illud tamquam crimen verè à se commissum. Hic actus voluntatis regulatur à iudicio falso, quo homo ille iudicat se indigere contritione ad destruendum peccatum, & gratiam recuperandam, quòd iudicium falsum est, sicut illud, quo credit se mortaliter peccasse. Jam contritio elicitur imitatur ista iudicia, quia detestatur illud tamquam peccatum actuale à se commissum, quòd peccatum non est, sed actus bonus, ut contingere potest in multis casibus. Ergo contritio illa procedit de subjecto non supponente ex parte objecti materialis, immò aliquando detestatur bonum, quòd certè honestè detestari non potest, nisi ex errore credatur malum. Nihilominus actus ille contritionis bonus est & rectus, quia conformatur iudicio proponenti verum motivum contritionis, cui motivo actus voluntatis conformari debet, ut ab illo speciem seu perfectionem contritionis accipiat. At iudicium non errat in hoc motivo debite representando, quamvis erret indebitè applicando illud objecto materiali. Hæc rectitudo representandi verum motivum virtutis sufficit, ut actus amans illud motivum accipiat speciem talis virtutis, & evadat honestus, quia per hoc fundatur in vero motivo virtutis, & ab illo suam speciem & perfectionem accipit. Porro omnis alius error in iudicio, quo voluntas dirigitur, materialiter se habet, quia actus regulatus ab illis prædicatis speciem & perfectionem suam non sumit.

Quòd si actus intellectus non proponeret verum motivum virtutis, actus regulatus ad eam virtutem non spectaret; sicut enim erraretur in motivo proponendo, ita erraretur in specificativo actus, qui propterea non esset actus talis virtutis, quamvis invincibiliter crederetur esse talis. Sed si verum motivum virtutis representetur ac ametur, actus erit honestus in illa specie virtutis. Nec obstat, quòd idem actus non conformetur objecto materiali, cui illud motivum indebitè applicatur; hoc enim impertinens est ad moralitatem actus, ut videre est in contritione detestante peccatum ut existens, quòd verè non existit: nec alia desunt exempla; sed illud aliis prætulit, quia neminem credo dubitaturum, an talis actus sit bonus, eo quòd tendat in objectum materiale non verum, sed solùm representatum.

Æquivocatio Celladei, & nullitas argumenti potissimi.

54. Itaque redeo ad argumentum, & dico, actum voluntatis esse posse rectum per hoc, quòd conformetur iudicio non recto in compositione vel divisione terminorum, si sit rectum in eorum propositione, seu representatione; quia iudicium illud est rectum in eo proponendo, à quo actus voluntatis specificari debet; hoc autem sufficit, ut actus regulatus suam speciem accipiat. Jam ratio seu conscientia invincibiliter erronea in tantum dicitur recta, seu in tantum est regula, in quantam post debitam diligentiam representat verum motivum virtutis, quia per hoc solùm concurrat ad specificandum actum regulatum, qui ab altero prædicato, in quo error residet, non specificatur. Nullam ergo contradictionem incurrimus; non enim dicimus, con-

scientiam simpliciter erroneam esse simpliciter rectam, sed solùm dicimus, eandem rationem esse logicè erroneam & ethice rectam, seu, quòd idem est; solùm dicimus, eandem rationem esse erroneam secundum quid, & rectam secundum quid, quia est erronea in uno prædicato, sed non in alio; non enim errat in representando vero motivo virtutis, quamvis illud indebitè uniat objecto materiali. Itaque paritas lineæ curvæ non urget; quia lineæ curva nil habet, per cujus conformationem alia lineæ reddi possit recta. At iudicium, solùm erroneum in compositione terminorum, habet representationem veri motivi virtutis, per cujus applicationem fit, ut actus illi commensuratus, & ab illo regulatus sit actus verè virtutis. Ergo paritas illa nulla est.

Hinc habetur ratio à priori distinctionis allatæ de rectitudine ethica ac logicà respectu unitus ejusdemque actus intellectus; nomine enim rectitudinis ethicae aliud non intelligimus, quàm conformitatem iudicii cum appetitu recto antecedenti, unà cum representatione veri motivi virtutis, cumque similibus in responsione ponderatis; quia hæc sunt, quæ requiruntur & sufficiunt, ut actus à tali iudicio regulatus constituatur in specie virtutis, & sit honestus. Rectitudo autem logica est conformitas iudicii, quatenus componit vel dividit terminos, cum objecto quòd representat. Error ergo logicus est dissonantia in uniendo vel dividendo terminis propositionis. Jam ille error optimè cohæret cum rectitudine priori. Nulla ergo umbra contradictionis invenitur in eo, quòd voluntas rationi invincibiliter erranti conformis sit bona.

55. Objicit secundò. Nulla operatio, quæ non elicitur ab aliquà virtute morali est honesta. Sed nulla operatio conformis rationi erranti elicitur ab ullà virtute morali. Ergo nulla operatio conformis rationi erranti est honesta. Probat minor: virtus moralis definitur, quæ facit ut homo operetur conformiter ad rationem rectam. Sed ratio errans non est ratio recta. Ergo nullus actus conformis rationi erranti elicitur ab ullà virtute morali. Ergo nullus talis actus est bonus. Ita Celladeus §. 3.

Respondeo, argumentum hoc eadem, quæ præcedens, æquivocatione laborare, eandemque prorsus solutionem admittere, in quâ adhibendâ cum nulla sit difficultas, opus non est illi solvendo inhære.

56. Objicit tertio. Nulla datur accusatio, ac proinde nulla defensio per se loquendo est necessaria pro operatione bonâ. Sed quoties voluntas concordat rationi erranti, per se loquendo datur locus accusationi, ac proinde necessaria est defensio; quia omnis operans contra legem legitime accusatur, & opus habet defensione; quæ si sit legitima, absolvitur; si illegitima, vituperatur, ut videre est tam in foro, quàm in familiâ. Ergo nulla voluntas concordans rationi erranti est bona. Ita Celladeus §. 3.

Respondeo majorem veram esse de quavis operatione, modò constitit eam esse bonam. Ceterum si bonitas ac malitia actionis revocetur in dubium, utique, stante tali ignorantia, locus datur accusationi, ac proinde, stante tali hypothesi, per se loquendo necessaria est defensio, per quam ostendatur, quòd actio illa non sit mala sed bona, quamvis ejusmodi defensio non sit simpliciter necessaria per se, quasi verò necessitas illius in ipsâ operatione bonâ fundetur. Quòd ad

Rectitudo ethica cōscientiæ, in quo differat à rectitudine logicâ eisdem?

Objectio 2.

Objectio 3.

Operans ex errore invincibili, per se nulla indiget defensione, sed solum per accidens.

ad minorem attinet; illa in sua universitate falsa est, quia includit operationes tam vincibiles quam invincibiles errori conformes; nam etsi operationes à vincibili errore regulatæ sint per se accusabiles, & damnabiles per titulum in ipsâ operatione ejusque causis fundatum, tamen operationes ab errore invincibili profectæ non per se sed solum per accidens accusari possunt. Non per se, quia titulus accusandi fundari nequit neque in ipsâ operatione secundum se, neque in causis ipsius operationis, cum omnia ista ab omni malitiâ sint protus immunia. Unde nemo ob talia opera in iusto Dei iudicio accusabitur. Nec mirum, quia illa sola sunt per se accusabilia, quæ, cum veritas constiterit, sunt condemnabilia; illa enim sola habent in se meritum & titulum accusationis ac damnationis iustæ, ut patet. At, quoad nos & per accidens, talia opera subjacent accusationi, & consequenter defensione indigent, quia cum ignorantia ipsa, & multò magis invincibilis ignorantia non præsumatur, tam in foro quam in familiâ legitime accusantur, qui contra legem operati sunt. Verum illa accusatio merè accidentaliter se habet ad operationem ipsam, ejusque causas, quia fundatur in ignorantia rei gestæ, si enim omnia debite constarent, nec accusationi nec oburgationi locus daretur, ut patet. Certum ergo est illationem non subsistere, cum minor sit evidenter falsa, clarèque constet, Celladeum in eâ efferendâ confudisse titulum accusandi per accidens, & quoad nos ex suppositione ignorantie nostræ, cum titulo accusandi per se, casu quo veritas totius modi operandi certo constaret.

Dices. Ratio errans non potest esse primaria, nec secundaria regula rectæ operationis. Non primaria, quia hoc proprium est legis æternæ, quæ errare non potest. Non secundaria, quia hæc non potest esse recta, nisi conformetur regulæ primariæ, seu legi æternæ, cui certè conscientia errans non conformatur. Ergo opus à ratione errante regulatum non est bonum, cum repugnet opus esse bonum, quod nec primariæ nec secundariæ rectæ operationis regulæ conformatur.

Respondeo primò, retorquendo argumentum in casu obedientie cæcæ, quando subditus obedit superiori malum præcipienti, quod tamen non manifestè malum apparet, sed ab utroque invincibiliter creditur bonum; eodem enim modo probatur, quòd voluntas superioris non sit regula nec primaria nec secundaria rectæ operationis, cum nec sit lex æterna, nec illi conformetur. Et tamen, hoc non obstante, obedientia illa est actus veræ virtutis, ut ex unanimi Patrum doctrinâ constat. Ergo similiter argumentum non obstat, quòd minus in aliis etiam casibus opus, quod conscientia invincibiliter erroris conformatur, sit bonum.

Respondeo secundò directè; & dico, rationem invincibiliter errantem esse circumstantiam objectivam, ex quâ recta ratio reflexa, quæ legi æternæ pariter reflexa conformis est, formatur. Hoc ex dictis efficaciter probatum est. Unde semper habemus regulam tam primariam quam secundariam, cui opus à ratione taliter errante regulatum conformatur, & propter eam conformitatem evadit bonum. Et sanè Deus numquam prohibet quidquam, quin reflexè præcipiat illud fieri pro omni casu, quo invincibiliter creditur esse præceptum, & quin illud reflexè permittat, quando invincibiliter creditur bonum, aut à su-

periore religioso præcipitur, quando malitia rei præceptæ non est manifesta illi, cui præceptum impositur. Hanc doctrinam expressè tradit Gabriel in 2. dist. 39. in fine his verbis. *Vult Deus, quòd voluntas se conformet conscientie (erroneæ) non culpabili.* Et sanè verba Salvatoris, *qui vos audit me audit*, locum habent etiam quando superior errat, quia etiam tunc, quamdiu error subditum latet, spectandus est tamquam Dei vicarius, & quod ad nos attinet, ut regula secundaria, seu ut regula inferior divinæ regulæ subordinata; quòd tamen esse nequit nisi ratione voluntatis reflexæ, quâ Deus vult se agnosci in superiore, etiam quando præcipit malum, modò malitia rei præceptæ non sit manifesta.

Respondeo tertio, rationem non errantem circa objectum formale, sed solum circa applicationem ejusdem ad objectum materiale, esse regulam secundariam conformem legi æternæ, quâ Deus vult nos amare tale motivum, & ex vi illius extendere potentiam volitivam ad omne opus, quòd invincibiliter creditur contineri sub illo motivo; nisi enim lex æterna pro hoc etiam casu providisset, manca & insufficientis fuisset Dei providentia pro gubernandis hominibus, qui in rebus ejusmodi cognoscendis sæpe non possunt non errare.

§ 8. Objicit quartò. Aliud est esse excusabile, seu non dignum pœnâ, aliud esse laudabile, seu præmio dignum; sæpe homines excusant alios mentientes, aut alia mala contra legem patran-tes, quia judicant illos nullâ pœnâ dignos, idque vel ob impotentiam, vel ob ignorantiam invincibilem. At nemini videtur venisse in mentem, talia opera esse præmianda. Certè mendacia, adulteria, & alia ejusmodi non possunt esse bona, nec propterea cælo donari possumus, ut urget Guilielmus Parisiensis. Ergo neque voluntas, quâ in illa ferimur, potest esse bona; alioquin ipsa opera redderentur bona, quia haberent eandem causam honestatem, nempe rationem invincibiliter errantem.

Præterea repugnat, voluntatem faciendi quod bonum & laudabile non est esse laudabilem. Quin ideo voluntas laudabilis est, quia quod per illam facere volumus est laudabile. Et sanè, mendacia, furta, adulteria, & alia ejusmodi nunquam esse Deo grata, sed ad summum excusari posse, adeo rationi consonum videtur, ut oppositum violentissimâ & maximâ probatione indigeat. Ita Celladeus §. 3.

Respondeo in primis, Celladeum hæc in objectione & sibi & apertæ veritati contradicere. Veritas aperta est, communem Theologorum sententiam ac suppositionem esse, quòd voluntas terminata ad hujusmodi objecta, invincibiliter credita bona, sit bona & honesta. Huic veritati in ingressu hujus quæst. 4. Celladeus ipse apertè subscribit, ait enim, *multi sunt, qui supponendo magis quam disputando, alii brevi disceptatione rem expediendo, & ut putant, s. Thomam sequendo, tenent, voluntatem concordantem rationi invincibiliter erranti esse bonam, & honestam.* Ergo & apertæ veritati & sibi ipsi mox contradicit §. 3. ubi expressè hæc habet. *Nemini videtur venisse in mentem, talia esse etiam præmianda.* Quid dicis Celladee? Nonne plurimis, te fatente, in mentem venit, tales operationes esse bonas & honestas. At idem apud omnes est operationem bonam esse, & esse meritoriam, seu meriti capacem, nec tu ipse, ni fallor, inficias ibis. Ergo plurimis in mentem venit (& ipse tu id fateris) quod

B. ne operans, per accidens, aliquid de fensione indiget.

Celladei contradictio.

quod tales operationes meritoriae sint, & praemiandae.

Non communis, sed singularis opinio indiget vehementi probatione.

58. Deinde respondeo, aliud esse ex suo conceptu, hominem esse excusabilem seu non dignum poenâ; aliud, illum esse laudabilem, seu praemio dignum, quia haec duo separari possunt; homo enim absque libertate operans, aut nullo etiam modo operans, sed dormiens, saepe est excusabilis, nullâque poenâ dignus, quia male non operatur; nec tamen laudabilis est, aut praemio dignus, quia ad hoc liberè & honestè operari debet. Verùm ista duo non sunt separabilia in operatione liberâ, quae deliberatè & invincibiliter fertur in aliquid ut bonum, quia in tali operatione illud ipsum, quod excusat operationem à malo, reddit illam bonam; nec ad hoc credendum, sed ad oppositum affirmandum opus est violentissimâ probatione; quae enim conformia sunt communi Doctorum persuasioni, facilitatè probationis sunt, quia communis Doctorum consensus sufficientem fidem conciliat. Contra verò, quod communi Doctorum persuasioni opponitur, difficillimâ probationis est, quia nemo absque violentissimâ probatione merito recedit à communi opinione. At certum est, opinionem, asserentem huiusmodi operationes esse bonas, fundari in communi Doctorum persuasione, cui singularis Celladei opinio repugnat. Ergo ipsius opinio, non nostra, indiget probatione vehementissimâ; nec indiget tantum, sed ea caret, cum nostra validissimis rationibus confirmetur, ut patet.

Homicidium invincibiliter creditur merita esse opus meritorium.

59. Ad id, quod ex Guilielmo Parisensi sed absque loci citatione assert, fateor, mendacia, furta, & caetera eiusmodi non esse bona, & vitae aeternae meritoria, quando proponuntur sub notionibus, quas verba expriment. In hoc enim sensu objecta illa sunt tam aperte mala, ut eorum malitia aut nullo modo aut non nisi vincibiliter latere possit; ideoque non modo non sunt bona, sed semper sunt mala; quae proinde excusari non possunt. In hoc verum dicit Guilielmus Parisensis, nec nos ab eo dissentimus. At quaestio praesens est longè alta; loquimur enim ex suppositione, quod objecta materialiter mala invincibiliter proponantur ut bona. Puta quando medicus invincibiliter existimat, se non mortiferam sed salutiferam medicinam praescribere. Ubi autem dicit Parisensis, aut quisvis alius, dempto Celladeo, huiusmodi objecta, in talibus circumstantiis sumpta, non esse bona, aut vitae aeternae meritoria? Hoc ostendat Celladeus, & aliquam auctoritatem pro se habebit. Praeterea Parisensis loquitur de eo, quod per se & plerumque evenit, non de eo quod merè se habet per accidens. Loquendo autem per se, verum est, quod objecta sub dictis expressionibus proposita semper proponantur ut mala, aut non nisi vincibiliter existimentur bona. At si in casu aliquo raro per accidens contingeret hominem invincibiliter decipi, & existimare talia esse bona, aut permittit, aut etiam praecipit, ille per accidens bene operaretur ea volendo.

Objecta intrinsecè mala aliquando evadunt bona.

60. In hoc porro casu admitto, non solum voluntatem ad istiusmodi objecta terminatam, sed etiam ipsa objecta esse bona; quia etsi illa secundum se sint physice mala, tamen non sunt adeo mala, quin omnis malitia moralis ab illis separari possit, ut in datâ hypothesi omnes fatentur. Itaque sicut quaedam circumstantiae reddunt talia objecta à malo immunita, ita etiam aliae sunt, quae reddunt illa bona & honesta; non

quod objectum tale per se praecise sit bonum, sed quod bonum sit & merito eligibile prout talibus substat circumstantiis. Nec mirum, quia, prout illis substat, non solum à Deo permittitur, sed saepe etiam praecipitur. Ergo haud dubie honestum est. Alia ratio id ipsum convincens est ista. Objectum illud, prout dictis circumstantiis substat, non est malum. Ergo est bonum, vel indifferens. Si bonum, habeo intentum. Si indifferens, ergo in illis circumstantiis ita se habet sicut alia objecta, quae secundum speciem sunt indifferenta. At illa in individuo evadunt bona, quando referuntur ad bonum finem, ut omnes fatentur, & ipse Celladeus §. 5. & alibi aperte concedit. Ratio est, quia ad bonitatem electionis sufficit, objectum materiale non esse malum, si motivum formale sit bonum, ut patet, inquit Celladeus, quando versamur circa indifferencia ex bono fine. Nec dubium quin sancti homines quotidie se exerceant circa indifferencia voluntate bonâ, dum sectantur doctrinam Apostoli, sive manducant, sive bibant, sive aliud quid faciant, omnia in honorem Dei agunt. At eadem ratio valet de malo materiali, quando propter circumstantias peculiare evadit formaliter indifferens; in tali enim casu, si ordinetur ad bonum finem, evadit bonum, sicut alia, quae secundum se sunt indifferencia. Et sanè mirum est, Celladeum argumenti huius vim non vidisse, cum ex propriis ipsius principiis ac dictis stabilietur. Ille enim ut ostendat, electionem indifferentium esse bonam, quando nititur motivo honesto, sic arguit. In tali casu locus est prudentiae ac veritati, eò quod verum sit, objecta non esse mala, ideoque esse ordinabilia ad bonum finem, & ut sic ordinata esse bona; unde conscientia prudens & vera formatur, quâ concluditur, quod talia hic & nunc sint bona. At eadem ratio eodem prorsus modo concludit, objecta ex se mala esse hic & nunc bona, quia, prout substat hiis circumstantiis, constat ea esse saltem indifferencia, & consequenter honestè ordinari posse ad bonum finem, & ut sic ordinata esse bona. Adeo sibi in omnibus contrariatur Celladeus, ut cum maximè se putat triumphare, ibi potissimè propriis telis vulneretur, & vincatur.

Dices. Quamvis probabile sit speculative, triplicem contractum v. g. carere maculâ usurae, nullus tamen unquam ante veritatem huius opinionibus aut actionibus asseruit positivam honestatem virtutis, sed ut summum à quibusdam eximuntur à culpâ beneficio ignorantiae invincibilis. Ita objicit Theologus quidam, qui hanc objectionem ex proximè allatâ doctrinâ Celladei sumpsisse videtur.

Respondeo mirum videri, talia à Theologis obijci potuisse, cum omnibus peritis notum sit, ea palmarem falsitatem continere. In primis notorium est, opinionem, quae operi à ratione errante regulatè honestatem tribuit, esse communissimam inter Theologos, & vix, aut ne vix quidem ullum inter orthodoxos reperiri, praeter Celladeum, & hunc Theologum, qui à centum & amplius annis id in dubium revocaverit.

Deinde certò constat (liceat mihi hoc iterum dicere) hanc esse expressam S. Thomae opinionem, qui t. 2. quaest. 19. art. 6. cum proposuisset: Vtrum voluntas concordans rationi erranti sit bona? praemittit initio corporis, hanc quaestionem eandem esse cum illâ, quâ queritur, utrum conscientia erronea excuset? Unde manifestum est, S. Thomam censere, voluntatem rationi erranti concordantem esse bonam, quando conscientia

In confectio Celladei, qui propriis principiis confutatur.

Replicae

Solutio.

Mens S. Thomae ex ejus interpretibus declaratur.

erronea

erronea à peccato excusat. Alioquin absurdè diceret, eas duas quaestiones coincidere, si ex unâ parte conscientia errans aliquando excusaret, & ex alterâ voluntas ei concordans numquam esset bona. Hoc adeo clarum est, ut Valentia, Silvius, Malderus, aliique interpretes statum praesentis quaestionis eo articulo ita exponant, ut idem sit quaerere, utrum conscientia errans excuset à peccato, & utrum voluntas concordans cum ratione errante sit bona.

Nec obstat, quod dicit S. Thomas ad 1. Nempe ad hoc ut opus sit bonum, requiri ut neque ex naturâ suâ, neque in apprehensione operantis sit malum, quia hoc, ut dicti Auctores ibidem explicant, intelligendum est de eo, quod est per se, & extra casum, quo ignorantia à peccato excusat. Cum enim argumentum videretur intendere, (quod argumentum secundum expressius intendit) quod sicut voluntas discordans à ratione errante semper est mala, ita voluntas concordans rationi, quae falsò judicat aliquid esse bonum, semper sit bona: S. Doctor in sua responsione negat inter hæc paritatem reperiri, quia ut quid dicatur malum, sufficit quod secundum naturam suam sit malum, nisi (inquiunt) per accidens ignorantia excuset à peccato.

Eidem doctrinæ magno consensu, idque non obiter, sed eam ex professo discutientes Theologi Societatis subscribunt. Suarez de actibus hum. disp. 12. sect. 4. num. 8. Sanchez lib. 1. summa cap. 11. num. 17. Valentia, Vasquez, Azor, Salas, Becanus, Elparza, Amicus, & passim alii. In eodem alii etiam Theologi consentiunt. Almainus, Lorca, Corduba, Duvalius, Sylvius, Malderus, Pezantius, Wiggers, & fortassis alii omnes præter Celladeum, & Theologum istum. Qui enim ex antiquis in contrarium citantur, Martinus de Magistris & Angelus, ita ab Azorio explicantur, ut fortè solâ voce dissentiant.

Opinio nostra contra istam est singularis.

Contra apertam ergo veritatem objicit iste Theologus, nullum ante Terillum hu actionibus assertivè positivam honestatem virtutis, cum certissimum sit, Auctores ferme omnes in hoc mecum convenire. Ego autem verissimè contra hunc Theologum objicio, aut nullum, aut viz ullum ex Auctoribus, qui à centum annis scripserunt, præter unum Celladeum, talibus actionibus positivam virtutis honestatem negasse. Audiatur Petrus Lorca ad dictum S. Thomæ articulum, disp. 37. membro 1. in hoc puncto, inquit, consentiunt Auctores in his propositionibus. Prima: si conscientia certa errans proponit aliquid ut bonum, quod in se aut malum aut indifferens sit, ignorantia invincibili, voluntas quæ illi commensuratur est bona. Nec hic solum est communis Doctorum, sed etiam fidelium sensus, ut exempla num. 44. & seq. allata convincunt; siquidem omnes planè exstimant errores ejusmodi, utpote invincibiles, actuum ab illis directorum bonitatem non impedire. Ratio autem à priori hujus doctrinæ ab Augustino supra indicata fuit, eamque Lorca evidentem appellat. Ratio, inquit, est evidens, quoniam qui sequitur hujusmodi conscientiam, excusatur ignorantia invincibili ab omni malità actûs, & ex aliâ parte habet objectum bonum, quantum est ex parte regula & proponentis immediatè. Nil ergo deest ad rectitudinem voluntatis. Hæc ratio Lorca coincidit cum ratione Augustini, quæ si ad terminos à Theologis usitatos reducat, in eo fundatur, quod actus specificentur ab objecto formali, in quod tendunt. Cum ergo actus ejusmodi ex unâ parte ob ignorantiam invincibilem indubiè sint

innocentes, & ex alterâ habeant motivum formale honestum, actus voluntatis, qui prodit à tali ignorantia taliq; motivo, non potest non esse honestus, speciemque ab honestate motivi, in quod fertur, accipere. Id autem ex eo maxime verum esse apparet, quod intellectus verissimam bonitatem apprehendat, eamque voluntati proponat, quamvis eam objecto materiali falso & indebitè applicet.

61. Objicit quindò. Bonitas Dei moralis est mensura, & prima regula omnis bonitatis moralis creatæ. Ergo voluntas repugnans divinæ bonitati morali nequit esse voluntas bona, quia disrepat à suâ propriâ regulâ. Sed omnis voluntas, quâ volumus mala, ut furta, mendacia, &c. repugnat divinæ honestati ac bonitati morali. Ergo nulla ejusmodi voluntas est bona. Confirmatur id ipsum exemplo intellectûs, cujus perfectio nequit esse assensus objecto, quod contrariatur divinæ veritati. Neque enim potest esse perfectio intellectûs creati dicere ea, quæ intellectus divinus dicere nequit. Sic autem se habet honestas ad voluntatem, sicut veritas ad intellectum. Ita Celladeus §. 4.

Respondeo argumentum hoc Celladeum premere, quia probat omnem voluntatem, quâ volumus mala, ut furta, &c. esse malam; haud dubiè enim voluntas, quæ divinæ bonitati morali repugnat, non solum non est bona, sed est absolute mala, cum omnis malitia moralis actuum nostrorum à repugnantia cum morali Dei bonitate derivetur. Ergo si hujusmodi voluntates repugnent divinæ bonitati morali, ut contendit Celladeus, haud dubiè sunt malæ. Ergo sibi contradicit, & ex propriis argumentis falsitatis convincitur.

61. Respondeo secundò, voluntates malorum, quæ invincibiliter creduntur bona, morali Dei bonitati non repugnare, quia certum est, quod non sunt malæ moraliter. Itaque minor à Celladeo subsumpta est certò falsa, & consequenter conclusio ex illâ deducta est patenter nulla. Neque solum voluntates illæ non repugnant bonitati Dei morali, sed ei conformantur, quia Deus habet voluntatem, quâ nobis ejusmodi objecta permittit, & sæpe præcipit, cum sæpe citra peccatum omitti non possint. Ergo tales voluntates non solum non sunt malæ, sed etiam sunt bonæ & honestæ.

62. Porro confirmatio, à paritate intellectûs desumpta, manifestâ disparitate solvitur. Esto enim, perfectio intellectûs creati nequeat consistere in assensu falso, eò quod talis assensus contrarietur judicio Dei, cum id assermet, quod Deus negat, & ideo esto, talis assensus non solum non sit bonum, sed absolute malum intellectûs nostri, cum in nullo casu conformari possit judicio Dei essentialiter vero. At omnia contrariâ ratione se habent in voluntate nostrâ, quia Deus, stante errore invincibili, semper permittit, & sæpe præcipit opus, quod creditur bonum, quamvis secundum se sit malum. Unde tale opus in hisce circumstantiis, & voluntas illud amplectens conformatur divinæ voluntati, & ideo opus illud in talibus circumstantiis non solum non est malum, sed etiam est bonum voluntatis. Ecce disparitas manifesta; sed & Celladeus ipse disparitatem asserere debet, quia error semper est malum intellectûs, cum tamen voluntas mali, invincibiliter bonum crediti, non sit malum voluntatis. Itaque etiam hæc, ut in cæteris,

Objectio f.

Celladei contradictio.

Opus ex errore invincibili factum non repugnat morali Dei bonitati.

Error semper est malum intellectûs, sed non semper in voluntate.

Celladeus tenetur solvere proprium argumentum.

teris, propriis argumentis implicatur, quæ solve-
re nequit, nisi propria principia deferat.

63. Objicit sextò. Omnis bona voluntas est à Deo auctore. Nulla malorum voluntas est à Deo auctore, quia absurdum est dicere, mendacia, furta, & alia ejusmodi esse à Deo auctore, & consequenter absurdum est dicere, voluntatem illorum à Deo auctore prodire. Ergo nulla malorum voluntas est bona. Ita Celladeus §. 4.

Respondeo, hoc etiam argumentum ab ipso Celladeo esse solvendum, quia omne positivum, quod non est malum, existit Deo auctore. At voluntas malorum, quæ invincibiliter creduntur bona, & positiva est, & non est mala. Ergo existit Deo auctore. Major videtur certa, & haud dubiè comprehendit etiam actus indifferentes in individuo, si qui tales existant, nil enim in illis reperitur, quod Deo repugnet, aut impediatur, quo minùs antecedenter velit illa, voluntate saltem permissivâ, eademque ad finem à se intentum ordinet. At omnium talium Deus est Auctor. Jam certum est, plures malorum voluntates esse ejusmodi. Ergo sunt à Deo Auctore.

64. Respondeo secundo, Deum dupliciter dici rerum auctorem, primò absolutè & per se, secundo ex suppositione & per accidens. Deus absolutè & per se est auctor omnium, quæ immediatè per seipsum fecit, item omnium, quæ necessariò ex illis consequuntur, sed & omnium eorum, quæ per bonum usum libertatis creatæ producta sunt. Ratio est, quia Deus per seipsum hæc omnia directè intendit, & vult. Taliū autem Deus est Auctor, & quidem directè & per se. Jam alia sunt, quæ nunc quidem existunt, sed nunquam existissent, nisi creatura libera malè usa fuisset suâ libertate. Talia sunt mors, morbi, & alia corporis mala. Item ignorantia veri in intellectu, & difficultas, quam in profecundo bono experimur in voluntate. Talia etiam sunt pœnæ inferni, &c. Jam Deus non est auctor istorum absolutè & per se, quia *Deus mortem non fecit. Sapient. 1. 13.* sed homo suo peccato, contra intentionem Dei, illam sibi accersivit. Nihilominus, posito semel peccato, Deus consequenter ad illius suppositionem dici potest & est auctor mortis & damnationis, illasque in pœnam peccati infligit, juxta illud Amos 3. 6. *Si erit malum in civitate, quod non fecerit Dominus. Et illud Ecclesiastici 11. 14. Bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas à Deo sunt.* Nec quisquam hoc negare potest, quin simul neget, opera justitiæ vindicativæ à Deo auctore procedere, quo nil falsius dici potest. Taliū ergo rerum Deus est auctor, non absolutè, per se, & ex primariâ intentione, sed solùm per accidens, ex suppositione, & ex intentione secundariâ.

65. Hac distinctione posita, argumentum spontè labitur, major enim universaliter admitti potest, modò terminus ille, *Deo auctore*, completatur tam auctorem per se, quàm auctorem per accidens, & ex suppositione. Sed neganda est, si ad alteram tantum acceptionem restringatur, quia omnis voluntas est bona, quæ quocumque tandem modo procedit à Deo auctore. Minor simpliciter negari potest, sed meliùs distinguitur hoc modo: nulla voluntas malorum est à Deo, ut ab auctore per se & ex primariâ intentione, conceditur minor. Nulla est à Deo auctore per accidens, ex suppositione, & ex intentione secundariâ, negatur minor, & consequentia. Absurdum quidem esset dicere, mala,

cognita ut mala, aut mala, vincibiliter credita bona, esse à Deo auctore. At dicere, mala, invincibiliter credita bona, & multò magis credita præcepta, esse à Deo auctore, stante suppositione erroris invincibilis, non est absurdum, sed sine intolerandâ absurditate negari non potest. Sanè judex, Deo auctore, condemnat innocentem legitimè convictum, quando nullum adest indicium innocentie. Quomodò enim Deo auctore non fit, quod Deus fieri jubet, quòdque nisi fiat, mortem animæ, suæque amicitie jacturam minatur? At certum est, Deum, stante ejusmodi errore invincibili, præcipere condemnationem innocentis, & ni condemnatur, mortem animæ, suæque amicitie jacturam minari. Ergo talia objecta eorumque voluntas respiciunt Deum ut auctorem. Idem valet de omni voluntate, quæ rationi invincibiliter erranti conformatur.

Hinc sequitur, Celladeum frustra objecisse longum malorum catalogum, ut probaret, absurdissimum esse concedere, ea omnia Deo auctore existere; nemo enim concedit ea omnia ab ullo homine patrari posse absque peccato, eò quòd naturaliter nemo de omnibus invincibilem ignorantiam habere possit. Cæterum si suppositio de invincibili omnium ignorantia admittatur, sicut absurdum non est, quòd mala illa materialia non sint formaliter mala, ita absurdum non est, sed congruum, quòd eadem, ut talibus circumstantiis substantia, sint formaliter bona, & consequenter à Deo auctore.

66. Objicit septimò. Operatio conformis rationi invincibiliter erranti non aliâ ratione est honesta, quàm quia operans sequitur dictamen suæ conscientie, & facit quod invincibiliter judicat esse bonum. At hæc ratio non probat intentum, quia falsæ existimationes non tribuunt operationibus nostris bonitates & malitias falsò existimatas; qui enim falsò invincibiliter putaret se esse in gratiâ, atque inde concluderet, se meritorie de condigno operari, non ideo poneret actum meritorium de condigno. Similiter, qui invincibiliter putat malitiam peccati esse infinitam, non ideo contrahit malitiam infinitam, si opinio dicens malitiam peccati esse infinitam sit falsa. Similiter credens se ponere malitiam finitam non ideo non poneret malitiam infinitam, si opinio ipsius esset falsa. Idem dicendum de eo, qui falsò putaret actum unius virtutis esse magis meritorium actu alterius virtutis, aut mensuram meritum correspondentis tali actu esse tantæ magnitudinis, cum non sit tantæ; non enim ideo actus virtutis, falsò creditæ melioris, esset melior, nec actus meritorius unius gradus ideo mereretur mille, quia operans putaret illius meritum ad tot gradus extendi. Ex his inferitur, voluntatem malorum non esse bonam, quamvis illa invincibiliter credatur esse bona. Ita Celladeus §. 5.

67. Respondeo, paritates istas non urgere, quia operationes, de quibus talia judicia enunciant, eodem modo se habent, sive præcesserint sive non præcesserint, sive vera sive falsa fuerint ejusmodi judicia. Sint duo, quorum alter verè, alter falsò judicet se esse in gratiâ, & ideo mereri de condigno suis actibus honestis; dico utrumque illud judicium impertinenter se habere, ut operatio evadat, vel non evadat meritoria de condigno, quia neutrum ponit, vel aufert ea, per quæ meritum constituitur tale; sicut enim homo non meretur, quia falsò putat se mereri, sic non meretur,

Falsæ existimationes non semper tribuunt actibus bonitatem & malitiam existimatas.

Ratio, ob quam casus tribuunt, exponitur.

meretur, quia verè putat se mereri; eodem enim modo meritis fuisset, si illud iudicium abfuisset. Idem valet in aliis casibus allatis, quia què in omnibus iudicia illa impertinenter se habent ad inferendum vel impediendum objectum, quod enunciant. Ratio à priori est, quia iudicia illa, quà talia, non sunt regula seu mensura proxima operationum, de quibus enunciant, ideoque operationes illæ nec speciem nec augmentum bonitatis vel malitiæ à talibus cognitionibus recipiunt. At omnia contrario modo se habent in casu nostro; loquimur enim de cognitione immediata practica, seu de dictamine conscientiæ, quæ est regula proxima, & mensura bonitatis & malitiæ moralis, quæ in actus à tali dictamine regulatos refunditur. Et sanè hoc adeo verum est, ut Celladeus ipse teneatur ita respondere ad paritates, quas attulit; nam sic arguo. Dictamen conscientiæ vetans rem aliquam, necessariò refundit malitiam in electionem objecti, quod prohibet, quamvis illud ex se sit bonum. Peto unde hoc eveniat, cum in casibus allatis error intellectus nec bonitatem, nec malitiam existimatam in operationes refundat? Aliam rationem non reddet Celladeus, quam jam dictam, nempe quia practicum conscientiæ dictamen est proxima regula moralitatis contentæ in operatione. Alia autem iudicia non sunt regula operationum, de quibus enunciant. At dictamen invincibiliter erroneum est regula proxima operationis illi conformis. Ergò necessariò refundit honestatem in operationem, quam dirigit. Est enim regula à Deo statuta, ut juxta eam operemur. Ergo est mensura moralitatis, illamque communicat volutioni, quam regulat.

Celladeus tenetur respondere & nostram solutionem adhibere.

Aliquando cognitiones falsæ refundunt malitiam & bonitatem in actus.

68. Cæterum in eo erravit Celladeus, quòd universaliter dixerit, bonitatem & malitiam falsò existimatam non refundi in operationes à talibus iudiciis regulatas; certum enim est, quòd sæpe omnem bonitatem & malitiam falsò existimatam in ipsius objecti electionem refundant. E. g. Petrus occidit feram, putans se hominem occidere. Dico; Petrum non minùs peccare, quam si hominem interfecisset. Ratio est, quia occiso continetur in vi talis volutionis, quæ eam de facto induxisset, si homo loco feræ constitisset. Cum ergo Petrus posuerit causam sufficienter illativam mortis, nec per ipsum steterit, quòd minùs homicidium patraretur, perspicuum est, totam malitiam homicidii in talem volutionem refundi, quamvis homicidium non committatur, nisi in mente talis hominis. Idem locum habet in errore circa bonitatem materialem actus exercitii. Qui enim invincibiliter putat se dare aureum in eleemosynam, non minùs placet Deo, nec quoad nos minore laude dignus est, eò quòd mummus, quem largitus est, invenitur fuisse aurum adulteratum. Ratio est, quia Deus intuetur cor. Cor autem illius absolutè & efficaciter dispositum erat ad aureum largiendum. Per ipsum ergo non stetit, eleemosynam non fuisse qualem putabat. Cum ergo elicuerit actum liberalitatis sufficientem ad tantum tribuendum, nec præmio ullo apud Deum, nec laude apud homines privabitur, eò quòd invincibiliter deceptus minùs dederit quam putabat. Itaque certum videtur, actus rationi invincibiliter erranti conformes esse moraliter bonos, quia cum motivum virtutis, in quod voluntas fertur, sit positum in nostra potestate, atque actu in illud feramur, utique honestè operamur, quia voluntas quoad illius prosecutionem est tam efficax, quam fuisset si in

R. P. A. Terilli Regula morum. PARS I.

tellektus non errasset applicando illud objecto materiali indebito. Quæ cum sint tam perspicua, miror Celladeum ea non considerasse, sed existimasse exempla à se allata tam pertinenter se habere ad bonitatem & malitiam in actus nostros refundendam, quam practicam conscientiæ cognitionem, seu iudicium, quò immediate dirigimur ad operandum.

69. Hæc omnia legitime procedunt, quamvis demus Celladeo, quòd in istiusmodi casibus ultimum conscientiæ dictamen sit falsum. Verùm è contrario se res habet, quia ultimum conscientiæ dictamen, à principiis reflexis deductum, est evidens, ideoque omnia illius argumenta procedunt de subiecto non supponente. Exemplo sit iudex, qui credit reum legitime convictum verè esse reum, & ideo illum condemnat. In hoc casu ultimum dictamen, quo Iudex regulatur, non est directum iudicium, quòd accusatus sit reus; quippe quod incertum est, & aliquando est falsum; sed est consequentia hujus syllogismi reflexi. Deus & republica precipiunt, ut eum damnem tamquam reum, qui legitime convictus est reus, quem ego reum iudico, maxime quando nulla adest ratio pro illius innocentia. Sed hic adest reus legitime convictus, quem ego reum iudico, nec ulla adest ratio pro illius innocentia. Ergo Deus & republica precipiunt, ut hunc condemnem tamquam reum. Ergò licitè & laudabiliter eum condemno, quia licitè & laudabiliter obedi legi Dei & republicæ. Similis aut proportionatus syllogismus reflexus elici potest pro omni casu, quando invincibiliter erramus in iudicio directo.

Ex conscientia à invincibiliter erronea surgit conscientia recta & vera.

Conscientia erronea non resolvitur in veram.

70. Dices, argumentum in hoc principio reflexo fundatum apparet quidem validum, sed scitur non concludere, quia nimis probat. Tollit enim conscientiam erroneam, eamque in veram resolvit. At nos loquimur pro casu conscientiæ erroneæ verè existentis. Ergo argumentum destruit suppositum, & nil probat. Ita Celladeus §. 6.

Respondeo, conscientiam reflexam veram non tollere directam falsam, sed in eà fundari; cum ipsam præsupponat, & super illam, ut existentem, illiusque qualitates reflectat, ut perspicuum est ex minore syllogismi allati. Ergo quando ex conscientia directa erronea conflurgimus ad formandum dictamen reflexum verum, conscientia erronea non resolvitur in veram, sed semper manet falsa. Itaque solum præbet occasionem novæ consultationis, per quam intellectus, comparando idem objectum ad novas circumstantias, aliter de illo enunciat, quam antè enunciaverat, & verissimè concludit, illud hinc & nunc esse licitum.

ASSERTIO III.

Propositum sit ulterius explicare, in quo ethica conscientia rectitudo consistat, simulq; communem conscientia divisionem in rectam & erroneam exactè proponere.

71. **I**N PRIMIS ex dictis constat, rationem seu conscientiam invincibiliter erroneam esse quidem erroneam logicè, sed ethicè rectam, quod hoc argumento confirmatur. Optima ratio, quam possumus & debemus habere, quæque contra temeritatem carere non possumus, est moraliter seu ethicè recta. Ethica enim mores tantummodò considerat. Ergo ratio in consideratione

Conscientia invincibiliter erronea est ethicè recta.

G tione

tionem ethicam non potest non esse recta, si sit optima, quam possumus habere, seu si sit qualis habere debemus quaque citra temeritatem & turpitudinem carere non possumus. Ille enim ethicè loquendo rectè se habet, qui se habet ut potest & debet, quique post debitam diligentiam ad optimum, cujus capax est, ita pervenit, ut citra temeritatem aliter se habere sive in intellectu sive in voluntate non possit. At ratio invincibiliter erronea est optima, quam habere possumus. Sæpissimè etiam citra temeritatem & turpitudinem illa carere non possumus; ut patet ex allatis exemplis. Ergo talis ratio est ethicè recta, & solum logicè erronea.

72. Quoad secundum, quamvis conscientia directè constituta dividi possit in rectam & erroneam, tam juxta considerationem logicam quam ethicam, simpliciter tamen loquendo divisio illa à Theologis communiter accipitur in sensu ethico, quia hoc solum modo refertur ad mores. Jam, in tali consideratione conscientia invincibiliter erronea æquivaleret rationi logicè rectæ, quia regulat operationem honestam, ut dictum est. Itaque talis ratio seu conscientia non impropriè est, & vocatur recta, quamvis logicè loquendo sit erronea, seu falsa.

73. Præterea Theologi definiunt rationem rectam per respectum, non ad veritatem logicam, sed ad appetitum rectum, omnemque rationem, tali appetitui conformem, rectam appellant; quia juxta considerationem ethicam recta est, eo quod per rectam causalitatem ab appetitu recto descendat, eidemque appetitui recto conformis sit. At certum est apud Theologos, quod ratio invincibiliter erronea sit conformis appetitui recto, quodque proinde ethicè loquendo sit ratio recta. Veritatem hanc fusè declaratam habes *quæst. 12. de conscientia probabilis à num. 14.*

74. Et sanè certum est, Theologos hæc in re non respicere præcisè ad veritatem, seu rectitudinem logicam, quia sæpe contingit homines æquè peccare sectando conscientiam veram, ac falsam. Non enim minus peccat uxor negando debitum viro verè non suo, quando illa contra persuasiones efficacissimas temerè putat illum non esse suum, & ideo illi debitum negat, quam quando reddit debitum viro non suo, quem falsè credit esse suum. Immo in primo casu nunquam deest peccatum, quia temeritas nunquam deest; in secundo verò plerumque peccatum non incurritur, quia error ille plerumque est invincibilis, & absque temeritate incurritur. Itaque quod ratio seu conscientia sit vera vel falsa, nil præcisè facit, ut actio, quam regulat, sit honesta, vel peccaminosa, ut patet. Itaque in obscuris opus est alià regulâ, nempe conformitate cum appetitu recto, quæ nunquam deest, quin actus illa carens sit malus, nec unquam habetur, quin honestatem tribuat in actum, quia arbor bona bonos fructus facit; ut dictum est.

75. Hinc sequitur, Celladeum errasse *lib. 3. quæst. 5.* ubi, absque debitâ rerum distinctione, bonitatem ac malitiam humanorum actuum universaliter resolvit in veritatem ac falsitatem logicam actuum intellectus, à quibus diriguntur. Censet proinde omnem rationem logicè veram esse ethicè rectam, quo nil absurdius dici potest; cerò enim constat ex dictis, multa judicia vera non esse ethicè recta, cum operationem, quam regulant, à peccato non excusent.

76. Ex dictis inferitur primò, nullam esse ra-

tionem ethicè erroneam præter illam, quæ est vincibiliter erronea, quia ex omnibus erroribus solus error vincibilis non est conformis appetitui recto; constat enim ex dictis, rationem invincibiliter erroneam appetitui recto esse conformem. Scio rationem logicè veram, sed temerè conceptam, nec esse, nec inferre conscientiam rectam; ratio tamen illa in rigore dici nequit erronea, quia hæc appellatio supponit errorem præcessisse in intellectu, illique superaddit difformitatem cum appetitu recto. Itaque ratio vera temerè concepta opponitur conscientiæ rectæ, quia difformis est appetitui recto, ideoque meritis appellatur ratio non recta, seu non rectè sed temerè formata; & quia in hoc æquiparatur rationi vincibiliter erroneæ, dici potest ratio æquivalenter erronea, quamvis reipsâ sit ratio logicè vera, & absolute non erronea.

77. Inferitur secundò, rationem practicam, seu conscientiam directè constitutam, non dividi adæquatè in rectam & erroneam. Ratio est, quia ratio vera temerè concepta nec recta est, nec erronea. Sæpe tamen est ratio practica, & conscientiam constituit. Itaque ut adæquatam ac immediatam conscientiæ divisionem habeamus, illa dividi debet in rectam, & non rectam. Recta complectitur non solum cognitiones certas ac evidentes, sed etiam probabiles absque temeritate elicitas, quia omnes ejusmodi cognitiones practicæ sunt conformes appetitui recto. Quod si contingat, aliquam ex illis esse falsam, illa est quidem logicè erronea, sed ethicè recta, & fundat actum honestum. Itaque conscientia recta subdividitur in certam ac probabilem. Certa, alia est evidens, alia certa sed obscura. Probabilis subdividitur in eam, quæ est conformis tam objecto, quam appetitui recto; & in eam, quæ est difformis objecto, sed conformis appetitui recto. Demum conscientia non recta dividitur in erroneam vincibilem, id est, in falsam temerè conceptam, quæ tam veritatem quam appetitui recto contrariatur; & in veram, sed temerè conceptam, quæ solum appetitui recto repugnat. Quæ omnia cum ex dictis aperte constent, aliud illis non est addendum.

78. Inferitur tertio, Celladeum plures incurrisse errores *in quæst. 5. lib. 3.* Primus est, quod dicit, nullam esse conscientiam rectam, quæ non sit vera; nec ullam veram, quæ non sit recta. Constat enim ex dictis, utramque hujus asserti partem esse falsam. Secundus est quod §. 3. dicit, homines nunquam teneri ad deponendam conscientiam rectam, intelligendo veram nomine rectæ. Hoc aperte falsitatis convincitur ex dictis, quia sæpe conscientia seu ratio vera est adeo temeraria, ut citra ingentem temeritatem retineri non possit. Talis ergo conscientia, etsi logicè vera, haud dubiè deponenda est, cum sine vituperio retineri nequeat. Exemplum sime à filio negante obedientiam patri, quem obstinatâ temeritate, cum logicâ tamen veritate, credit non esse suum, quamvis rationes efficacissimæ persuadeant, illum esse verum patrem, nec quidquam præter frivolum apparentiam fertur in contrarium. Hic filius haud dubiè tenetur judicium illud deponere, & contra illum operari, obedientiamque patri tantum existimato exhibere. Tertius error est majoris momenti, quoad præsentem controversiam, contra quem pono sequentem assertionem, ut occasionem habeam solvendi ea, quæ ad illum probandum Celladeus asserti dictâ *quæst. 5. lib. 3.* illa enim cum consecutaria sint ad ea,

Sola ratio vincibilis est ethicè erronea.

Divisio conscientiæ.

Ratio recta non definitur per veritatem.

Sæpe conscientia vera non est recta.

Notabilis Celladei error.

Divisio conscientiæ in rectam & erroneam non est adæquatata.

Conscientia exactè dividitur.

Duo Celladei errores.

Sæpe tenemur deponere conscientiam veram.

ad ea, quae in quaest. 4. tradiderat, hoc non alio loco examinari debuerunt.

ASSERTIO IV.

Alius Celladei error.

Hac Celladei propositio: Nulla ratio falsa non solum constituit, sed ne quidem infert conscientiam rectam, aut ad eam pertinentiter se habet: est manifeste falsa.

Ratio falsa saepe infert conscientiam rectam.

79. PROBATUR, & quidem in primis ratio invincibiliter erronea secundum se est ethice recta, ut ostensum est. Deinde quamvis hoc non admittatur, certum est, iudicia taliter erronea conformari appetitui recto, ac fundare novam consultationem, qua intellectus per principia synderesis reflexa format conscientiam certam & evidentem, ac proinde rectam, ut aperte constat ex rationibus & exemplis in hac ipsa quaestione allatis. Quae cum manifesta sint, perspicuum quoque est, aliquam rationem falsam fundare conscientiam rectam, & ad illam pertinentiter se habere.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Obiectio.

80. OBJICIT primò. Si conscientia probabilis falsa esset conscientia recta, nulla esset conscientia erronea, quia conscientia erronea nec consisteret in falsa, nec ab illa inferretur. At si quela est absurda; certum enim est dari conscientiam erroneam, tam vincibilem quam invincibilem. Ita Celladeus §. 3.

Nullitas objectionis.

Respondeo, conscientiam non sequi ex antecedente, quia, antecedente admisso, adhuc daretur conscientia vincibiliter erronea, quae nec esset recta, (utpote nec obiecto, nec appetitui recto conformis) nec conscientiam rectam inferret. Dividitur quidem conscientia erronea in invincibilem & vincibilem, sed non inde sequitur, nullam dari conscientiam simpliciter erroneam, eò quòd conscientia invincibiliter erronea aut sit recta, aut inferat rectam. Ratio est, quia proprietates uni membro divisionis debent non impediant proprietates alterius membri. Ergo quamvis ratio invincibiliter erronea aut sit recta, aut inferat rectam, eò quòd proprietates illius hoc probent, adhuc stat, rationem vincibiliter erroneam esse simpliciter talem, quia proprietates illius necessariò impediunt, quò minus illa sit recta, aut rectam inferat.

81. Dices Conscientia dividitur in rectam & erroneam, tamquam in membra opposita. Ergo nulla conscientia erronea est recta. Sed omnis conscientia invincibiliter errans est erronea, cum omnes dividant conscientiam erroneam in vincibilem, & in invincibilem. Ergo nulla conscientia invincibiliter erronea est recta.

Nulla conscientia erronea est recta in sensu rigoroso.

Respondeo ex doctrinà jam allatà, quòd conscientia illa divisio conscientiae in rectam & erroneam intelligatur de conscientia omni modo & rigorosissime recta, quae conformatur tam obiecto quam appetitui recto. Jam conscientia invincibiliter erronea opponitur conscientiae rectae hoc modo sumptae, quia non est conformis obiecto. Sed hoc non impedit, quò minus conscientia invincibiliter erronea sit conscientia recta in sensu minus rigoroso, quatenus est conformis appetitui recto, & consequenter ethice recta, & sufficiens in suo genere ad fundandam operationem honestam, quamvis non sit rectissima, quia est logicè difformis obiecto. Rursus, etiam

R. P. A. Terilli Regula morum. PARS I.

conscientia invincibiliter erronea non sit perfectè recta, fundat tamen aliam reflexam, quae rectissima est, ut ostendimus. Cæterum cum constet, non omnem rationem logicè veram esse ethice rectam, Theologi dividentes conscientiam, illam partiti non sunt in veram & erroneam, sed in erroneam & rectam; subtiliter enim viderunt, plus requiri, ut conscientia sit recta, quam ut sit vera. Itaque pro conscientia absolute recta seu undique perfectà duo requirunt, nempe veritatem in actu intellectû, & conformitatem ejusdem cum appetitu recto; adeo ut, alterutra deficiente, conscientia non sit absolute & simpliciter recta in sensu rigoroso.

Conformitas cum appetitu recto est potissimum prædicatum conscientiae rectae.

82. Porro ex duobus istis prædicatis, quibus conscientia simpliciter recta constituitur, potissimum in ratione ethicè est conformitas cum appetitu recto; illud enim est principalis prædicatum ex duobus; quo solo habito, ratio plus participat de conscientia rigorosè recta ejusque effectibus, quam participet per alia prædicata, hoc remoto. At ratio conformis appetitui recto plus participat de naturâ & effectibus conscientiae rigorosè rectae, quam ratio vera appetitui recto non conformis; in primo enim casu peccatum arceatur, quod in secundo obtemperatorem incurritur; in primo casu honestas inducitur in operationem, non in secundo; jam certum est, nil præstantius inveniri in conscientia undique recta, quam quòd peccatum arceat, & honestam operationem inducat. Ergo conformitas cum appetitu recto est præcipuum prædicatum in conscientia absolute & simpliciter recta.

Præterea tam Aristoteles in Ethicis, quam Theologi & Philosophi illum sequuti, definiunt rationem rectam per hoc, quòd sit conformis appetitui recto. Ergo haud dubie censent talem conformitatem in consideratione morali, de qua agunt, esse potissimum prædicatum in conscientia recta, aliàs perperam illam definiunt per ejusmodi prædicatum.

Id ipsum probatur ex eo, quòd S. Thomas præclare observat 1. 2. quaest. 90. art. 2. ad 3. nempe, quòd sicut nil firmiter constat per rationem speculativam, nisi per resolutionem ad prima principia indemonstrabilia, ita nil firmiter constat per rationem practicam, nisi per ordinationem ad finem ultimum. At hæc ordiatio ad finem ultimum consistit in recto appetitu finis, & in iis, quae à tali appetitu originem ducant. Ergo potissimum, maxime firmum ac radicale, quòd elucet & ad quò attenditur in conscientia, est conformitas cum appetitu recto, per quem ratio illa ad ultimum finem ordinatur.

Unde conscientia invincibiliter errans dicitur recta.

83. Atque hinc est, quòd conscientia invincibiliter erronea, præcisè sumpta secundum se & sua principia, sit & dicatur ethice recta, licet non sit recta logicè, nec in sensu maxime rigoroso, qui exprimitur, quando conscientia à S. Thomâ aliisque dividitur in rectam & erroneam. Ratio est, quia conscientia invincibiliter erronea est conformis appetitui recto, ideoque participat potissimum ac maxime essentielle prædicatum conscientiae tam logicè quam ethice rectae. Ergo merito & propriè vocatur recta, quamvis non in sensu rigorosissimo, sed solum in sensu ethico, quia revera ethice recta est; habet enim prædicatum, in quo talis rectitudo consistit, quamvis non sit rectissima, eò quòd logica conformitas cum obiecto illi deficit.

Obiectio 2. effect

84. Objicit secundò. Si conscientia invincibiliter erronea fundaret conscientiam rectam, effect

esset propter Syllogismum reflexum, quo quis sic discurreret. *Qui sequitur suum iudicium probabile, non peccat. Sed ego sequor meum iudicium probabile. Ergo non pecco.* At hoc dici nequit, sic enim conscientia erronea tolleretur, quia hâc ratione resolvitur in veram, non enim amplius falsum est, quod non peccet, supponebamus autem iudicium dicens, *non pecco*, esse falsum & erroneum.

Præterea hic discursus reflexus nil enunciat de ipso opere, sed solum dicit, me non peccare. At conscientia, dirigens nos circa opus, iudicare debet de ipso opere, & dicere, an sit bonum vel malum, quia velle formare conscientiam de non peccato in operando, & nolle de ipso opere enunciare, an sit malum vel bonum, est velle peccare non peccando.

Demum, velle operari, non formatâ conscientiam an opus sit vel non sit contra legem Dei, est velle peccare. At si conscientia formetur de ipso opere, erit erronea, si opus sit prohibitum, nec alia quam erronea conscientia resolvare poterit. Ita Celladeus §. 4.

Respondeo, conscientiam invincibiliter erroneam fundare conscientiam reflexam in omni rigore rectam, quæ est conclusio dicti Syllogismi, aut alterius non multum dissimilis. Ceterum in eo æquivocat Celladeus, quod cum subinde utamur eisdem verbis ad exprimendam conscientiam reflexam, quam veram & rectam dicimus, quibus utimur ad exprimendam conscientiam, quam supponimus esse erroneam; intulerit aut conscientiam erroneam tolli, aut nos contradictoria docere. Verum non advertit, objecta diversa sæpe significari per eadem verba, prout illa in diversis circumstantiis accipiuntur. Hoc ut omnes intelligant, sciendum est, Auctores benignæ sententiæ docere, quod conscientia, in casu erroris invincibilis ex principiis reflexis formata, solum dicit, opus in illis circumstantiis non esse malum malitiæ formali & imputabili. Non autem dicit illud non esse malum malitiæ materiali & non imputabili. At hoc secundum affirmatur à conscientia directâ, quæ propterea sæpe erronea est. At primum affirmatur à conscientia reflexâ, quæ propterea vera est, & absolutissimè recta. Porro Celladeus ipse admittit verum esse, quod malitia formalis ablit, quoties error est invincibilis. Ergo hoc ipsum cum veritate ac rectitudine affirmari potest reflexe. Ergo in ipsius sententiâ stare potest falsitas directâ de non peccato materiali, cum veritate reflexâ de non peccato formali. Et quidem si termini *materialis* & *formalis* non exprimentur, veritas reflexa de non peccato cohæret cum falsitate directâ de non peccato in eodem opere. Ergo ipse tenetur proprium argumentum solvere, & ostendere, quomodo conscientia reflexa vera & recta non tollat conscientiam directam falsam & erroneam; & quomodo rectè cohæreant ista duo, quod una propositio cum veritate affirmet malitiam formalem abesse, & altera erret negando malitiam etiam materialem adesse. Tamen hæc duo mirum in modum inscætur §. 4. Adeo sibi contrarius est, ut, in omnibus ferme propriis argumentis implicetur, nec ea solvere possit, nisi recurrat ad sententiam, quam impugnat.

Sed quid? est ne verum, conscientiam rectam nil enunciare de ipso opere, sed solum de non peccato? Ita autumat Celladeus, sed haud dubiè fallitur; quia hæc duæ expressiones, non pecco

hic & nunc in hoc opere, & hoc opus hic & nunc est licitum, unum idemque significant, & qui unum dicit, æquivalenter saltem dicit & alterum.

At, inquit, si conscientia reflexa enunciat de ipso opere, non minus errat, quam directâ. Ergo conscientia erronea ita manet erronea, ut rectam fundare, aut in rectam resolvere nequeat.

85. Respondeo, me jam ostendisse quomodo utraque ratio enunciet de ipso opere, una tamen sit vera, altera falsa. Immo ostendi Celladeum ipsum ita sentire, suoque argumento debere respondere. Deinde dico, conscientiam reflexam æquè falsam fore ac directam, si utraque enunciaret de eodem objecto relatè ad eandem circumstantias. At si reflexa consideret idem objectum in ordine ad alias circumstantias, quam directâ, illa poterit esse vera, ista falsa. Hic est casus noster, nam conscientia reflexa enunciat de objecto materiali considerationis directæ in ordine ad istas circumstantias, quod adhibita fuerit diligentia ad veritatem indagandam, quodque post debitam diligentiam objectum illud ex probabili fundamento credatur esse simpliciter omnibus licitum. Unde per principia reflexa legitime inferitur, quod hic & nunc sit mihi licitum, quodque ad peccatum imputari non possit; quæ vera sunt, quamvis iudicium directum, quod considerat objectum illud secundum se & circumstantias illi ex naturâ rei connexas, sit falsum. Exemplum habes in iudice damnante reum legitime convictum. Iudex enim certus est, se licitè condemnare reum illum, quia certus est, eum legitime convictum esse, seque suum in processu faciendo, &c. officium implevisse. Certus etiam est, se hic & nunc iuxta legem præscripta iudicare. Unde certè inferit, se licitè posse, ac etiam debere hominem illum condemnare. Immo certè novit hoc verum esse, etsi contingat, ut aliquando evenit, testes falsa deposuisse. Ecce Iudex non est certus, hominem illum esse reum, certus tamen est, se illum licitè condemnare. Hæc certitudo oritur à principiis reflexis, quæ supponunt debitam diligentiam fuisse præmissam, reumque legitime convictum iuxta legem præscripta condemnari debere. Verum hæc principia nullatenus variant directum iudicium de reatu capitis ob delictum, sed illud in suâ incertitudine relinquunt. Stat ergo, rationem invincibiliter erroneam fundare conscientiam reflexam absolute rectam, tam objecto quam appetitui recto conformem.

86. Objicit tertio. Si vera essent, quæ diximus, omitti posset iudicium directum de carentiâ malitiæ materialis, & solum elici iudicium de carentiâ malitiæ formalis. Ergo tolleretur conscientia erronea excusans, quod est contra omnes. Ita velle videtur Celladeus §. 4. in fine.

Respondeo, multa principia syndereflexa præsupponere iudicium directum præcessisse, quæ proinde applicari non possunt ad conscientiam certam ac rectam inferendam, nisi iudicium directum actu animam informet. In istis autem casibus toties datur conscientia erronea excusans, quoties iudicium directum invincibiliter errat. Excusat enim primò vi suâ, quia propter invincibilitatem error imputari non potest; excusat secundò, quia fundat iudicium reflexum verum, per quod conscientia absolute recta constituitur. Non ergo tollimus conscientiam erroneam

Conscientia erronea & vera differunt ex parte objecti.

Conscientia reflexa considerat alias circumstantias quam directâ.

Objectio 3.

Judicium directum præcessisse debet, ut conscientia certa formetur.

neam excusantem, sed eam stabilimus, & simul ostendimus, quâ ratione excuset à malo, & inducat bonum.

Ceterum, quando principia reflexa non reflectunt supra iudicium directum, non est opus, ut illud eliciatur; immò aliquando elici non potest, ut patet in conjugio dubio de validitate matrimonii, & in possessore dubio, an res ad aliam

pertineat. Isti enim saepe non habent unde dubium deponant; certificentur tamen, se licitè reddere debitum, & rem possessionem licitè retinere. Pontifices enim declaraverunt, debitum in dubio reddi debere; & omnes ferme in eo conveniunt, quòd res illa titulo possessionis licitè retineri possit, non obstante dubio, ad quem de jure pertineat.

QUAESTIO QUARTA.

Virum Opus ab errore invincibili directum sit tam bonum, quam opus directum à cognitione verâ?

QUAESTIO hæc affinis est precedenti, multumque conducit ad decisionem controversæ contra Celladeum initæ. Ille enim frequenter jactat, veritatem ipsam inutilem fore, si error non solum excusaret, sed etiam honestatem in operationem refunderet. Accusatio ista efficaciter rejecta est quaestione precedente; eadem autem ulterius in istâ rejicitur. Verum quia quaestionem hanc à nemine in terminis propositam aut decisam reperi, ideo cautius atque ordinarius in eâ determinandâ procedendum erit, ne dum sine duce viam aliis aperio, ipse à veritate aberrem. Sit ergo.

ASSERTIO PRIMÂ.

Ceteris paribus, opus à cognitione certâ & evidenti regulatum melius est, quam opus à cognitione verâ, sed incertâ directum.

OPUS à cognitione certâ regulatum præstat operi à cognitione incertâ regulato.

2. PROBATUR. Sint duo, quorum alter; nempe Petrus; certò ac evidenter sciat, eleemosynam hic & nunc rectè dari huic homini, quia verè egenus est, & quia ipsi suppetit, unde eleemosynam licitè largiatur. Alter verò, scilicet Paulus, quoad alia omnia ita se habeat, sicut prior; sed in eo discrepet, quòd neutrum illorum certò sciat, sed solum probabiliter, quamvis veraciter credat utrunque. Porò ut rque pari voluntatis conatu juxta præviam intellectus dispositionem, eleemosynam tribuat. Dico, Petrum elicitorum actum meliorem, ac honestiorem. Ratio à priori est, quia dispositio, seu totus actus primus, à quo operatio Petri procedit, perfectior est quàm dispositio, seu actus primus, à quo operatio Pauli ortum sumit; quia ille certam ac claram, iste obscuram & incertam boni faciendi cognitionem habet. Ergo plus boni refunditur in operationem Petri, quàm in operationem Pauli, quia actus primus perfectior ampliorem perfectionem refundit in actum secundum, quàm actus primus imperfectior. Hoc verum est, siue dispositio illa intellectus dicatur effectivè, siue solum dispositivè influere in actum voluntatis: si effectivè, ut ego quidem existimo, res est clara, quia nobilior causa meliorem gignit effectum: si solum dispositivè, idem sequitur; quia eadem causa, idemque motivum eò nobiliorem effectum producant, quò melius disponuntur, & clarius aut propinquius applicantur.

R. P. A. Tertii Regula morum, PARS I.

Unde sequitur, aliquid honestatis deesse actui à cognitione incertâ regulato, tam quoad affectum erga medium, quàm erga finem; quia voluntas minus afficitur erga medium, de quo formidat; an connectatur cum fine, quàm erga medium evidenter connexum cum fine.

Præterea minus firmiter applicat medium fini, quod videt non necessariò connexum cum fine, quàm si sciret illud esse necessariò connexum. Similiter loquendo de ipso fine, haud dubiè voluntas fortius adhæret illi, quando certò videt illum adesse, quàm quando formidat & vacillat, an adsit necne. Ergo in hoc casu operatio Petri est perfectior operatione Pauli; quia illa regulatur à cognitione certâ ac evidenti tam de præsentia finis, quàm de conducibilitate medii; ista verò dirigitur solum à probabili conjecturâ utriusque.

3. Confirmatur multipliciter. In primis, non aliâ de causâ amor beatificus in patriâ est melior, quàm amor charitatis in viâ, quàm quia intellectus lumine gloriæ instructus clarius Deum cognoscit; ex parte enim voluntatis principia radicalia amandi Deum non variantur. Secundò, qui clarè videt iter esse planum, omnique offendiculo carere, alacrius pergit, quàm qui ob defectum luminis non clarè discernit, sed formidat, an in offendicula sit incursumus. Tertio, ipsa ratio voluntarii à prævia cognitione dependet & regulatur, nam si cognitio prævia de bono sit clara & evidens, voluntarium absque involuntarii admixtionè prodit; aliter accidit, si intellectus de mali admixtionè formidet. Similiter si cognitio prævia sit supernaturalis ex parte objecti (ut ego cum multis existimo fidem esse) etiam effectus voluntatis sequens erit pariter supernaturalis ex parte objecti, quia actus voluntatis, seu voluntarium æmulatur ac imitatur naturam cognitionis, à quâ dirigitur. Hæc omnia, præsentia assertioni applicata, eam validissimè confirmant.

Aliæ rationes ad idem confirmandum.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

4. OBJICIT. Quando cognitio directa est incerta, prius quàm voluntas operetur, intellectus recurrit ad principia reflexa, per quæ certò & infallibiliter cognoscit, operationem hanc hic & nunc esse honestam. Ergo etiam tunc voluntas regulatur à cognitione certâ & evidenti. Ergo non est cur non æquè benè operetur, sicut quando dirigitur à cognitione directâ certâ & evidenti.

Respondeo in primis, rationes à nobis allatas concludere adversus eos, qui solum considerant

Solvitur.